UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

urn:nbn:de:hbz:466:1-54885

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 3211
g. II
20.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



DIVI AVRELII AVGVSTINI Hippon. Episcopi MEDITATIONES, Soliloquia et Manuale.

Meditationes
- B. ANSELMI cum tractatu de humani generis redemptione
- D. BERNARDI IDIOTÆ viri docti de amore divino

Omnia ad Mss. exempla emend. & in meliorem ord. distributa opera ac studio R.P. Henrici Sommalii Societatis IESV Theologi.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Cornelii ab Egmond et Sociorum
Anno clɔ Iɔc XXXXIX.

Collegij S.I. Paderborna
1697.

AD MODVM REVERENDO PATRI AC DOMINO PHILIPPO CAVERELE, S. VEDASTI ABBATI Religiosissimo,

HENRICVS SOMMALIVS è Societ. IESV, S.P.D.

IAm vere quam sapienter quondam divus Bernardus scripsisse videtur: Omnes causamur nobis deesse gratiam: sed justius forsitan ipsa queritur, sibi nonnullos deesse. Ego vero quid simile non importune mihi dicere posse videor: Omnes causamur nobis deesse devotionem: sed justius forsitan devotio ipsa queri posset, sibi eheu deesse plurimos. Quid mirum videri debet, si multi in tentationum ventis impulsi, hodie turpissime ac facillime in varia scelerum genera labantur, cum ipsi devotione sint destituti: quæ tamen est virtutis universæ fulcrum quoddam, & adversus cunctos hostes clypeus tutissi-

mus. Tolle ab homine devotionem: quidnam (obsecro) is erit, nisi animal quoddam, ad omne ineundum certamen imbecillum ac inerme? At verò si quis alicujus devotionis munimento fultus fuerit, quæ vitiorum monstra non evincet? Exemplo luculentissimo id commonstrare haud difficile erit. Si mihi etenim centum homines devotione ornatos obtuleris, vix ex eis duos, toto biennii discursu, in mortale crimen aliquod lapsos inveniam: Si vero totidem indevotos, equidem de illis tantumdem affirmare non ausim. Sed & multa intercapedine hi à se invicem dissiti esse videntur. Qui etenim devotioni sunt addicti, si ex fragilitate quadam humana, peccatum lethale admiserint, è vestigio emergere, è cæno turpitudinis, omni studio conantur: At vero indevoti à lapsu vix iterum ad meliorem frugem assurgere norunt. Quare nihil accommodatius habere videor, cui virum devotum comparem, SELENITE: qui lapis est & gemma quædam, in Perside sive Arabia nascens, haud quidem ignobilis: cujus, cum crescente Luna, candor accrescit, & cum decrescente, pari quodam

dam passu, novo naturæ miraculo decrescit. Eadem etiam ratione vir piis rebus addictus, pietate & quodam animi candore crescit, crescente devotione. Secus autem in homine indevoto usu venit, in quo tantundem integritatis vitæ atque morum decrescit, quantum devotionis ei decedit. Neque illud silentio prætereundum esse duco, quod quidam de hoc SELENITE refert, eum arbori alligatum, frugiferam illam reddere. Hoc ipsum, quotidiana experientia, viri devotione præditi, verissimum esse, in se comperiunt, dum variis incumbunt Christianæ vitæ officiis, & multa bonorum operum segete locupletes fieri conantur.

Porro ne multis te morer, Præsul admodum Reverende, ab amicis pridem rogatus fui, ut ex sanctorum Patrum monumentis, aliquem libellum, (velut enchiridion quoddam) ad amorem divinum excitandum, & ad devotionem comparandam scriberem. Ego itaque piæ ac studiosæ eorum voluntati impigre obsecutus, hunc, quem vides FASCICVLVM, qua potui celeritate confeci: quem T. P. R. ob insignem pietatem atque virtutem, quæ in te multorum

rum sermone elucent, nuncupandum existimavi. Spero equidem eos, qui sæpius eo utentur, non parvum tum in amore divino, tum vero in devotione, incrementum esse facturos. Quid jam reliquum est, Antistes optime, nisi ut animo submisso te rogem, quatenus ea benevolentiæ manu, hoc literarium atque devotionis munus, qua ipse tibi offero, accipere non graveris. Deus Optimus Maximus te cum universis Religiosis tuæ fidei commissis, multo sui amore, multaque animi devotione, augere dignetur. Vale, iterumque vale Archimandrita religiosissime, in annos plurimos salvus & incolumis.

MEDI-

MEDITATIONES S. AVGVSTINI.

CAPVT I.

Invocatio Dei omnipotentis, ad morum & vitæ reparationem.

DOmine Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare: da Domine Deus meus cordi meo pœnitentiam, spiritui contritionem, oculis lachrymarum fontem, manibus eleemosynæ largitatem. Rex meus, extingue in me desideria carnis, & accende ignem tui amoris. Redemptor mei, expelle à me spiritum superbiæ, & concede propitius thesaurum humilitatis tuæ. Salvator mei, amove à me furorem iræ, & indulge mihi benignus scutum patientiæ. Creator mei, evelle à me animi rancorem, & largire mihi mitis mentis dulcedinem. Da clementissime Pater mihi solidam fidem, spem congruam, charitatem continuam.

2. Rector mei, averte à me vanitatem, mentis inconstantiam, cordis vagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, ventris ingluviem, opprobria proximorum, scelera detractionum, curiositatis pruriginem, divitiarum cupidinem, potentatuum rapinam,

nam, inanis gloriæ appetitum, hypocriſis malum, adulationis venenum, contemptum inopum, oppreſſionem debilium, avaritiæ ardorem, invidiæ rubiginem, blaſphemiæ mortem. Reſeca in me, factor mei, temeritatem, iniquitatem, pertinaciam, inquietudinem, otioſitatem, ſomnolentiam, pigritiam, mentis hebetudinem, cordis cæcitatem, ſenſus obſtinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, conſilii repugnantiam, linguæ effrenationem, pauperum prædam, impotentum violentiam, innocentum calumniam, ſubditorum negligentiam, circa domeſticos ſeveritatem, adverſus familiares impietatem, erga proximos duritiam.

3. Deus meus, miſericordia mea, oro te per dilectum Filium tuum, da mihi miſericordiæ opera, pietatis ſtudia: compati afflictis, conſulere erroneis, ſuccurrere miſeris, ſubvenire egenis, conſolari mœſtos, relevare oppreſſos, pauperes recreare, flebiles refovere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem deſpicere, ſed honorare; bonos imitari, malos cavere, virtutes amplecti, vitia rejicere: in adverſis patientiam, in proſperis continentiam, cuſtodiam oris, & oſtium circunſtantiæ labiis meis: terrena calcare, cœleſtia ſitire.

CA-

CAPVT II.

Hominis accusatio, & commendatio misericordiæ divinæ.

1. ECce plasmator mei, multa rogavi, qui nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, non solum quæ postulo non debentur dona, sed multa & exquisita supplicia. Animant tamen me publicani, meretrices, & latrones; qui à faucibus hostis momentaneè eruti, sinibus excipiuntur pastoris. Tu enim factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Vnde de temetipso, per quendam tuum servum dixisti: Miserationes ejus super omnia opera ejus. Et quasi de singulo loquentem, de universo populo tuo te dixisse confidimus: Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, neminem abjicis, neminem perhorrescis; nisi forte qui amens, te exhorruerit.

2. Ergo non iratus modo non percutis, sed te irritantibus dona, si quæsierint, tribuis. Deus meus, cornu salutis meæ, & susceptor mei, ego infelix, ego te irritavi, ego malum coram te feci; furorem tuum provocavi, iram promerui; peccavi, & passus es; deliqui, & adhuc sustines. Si pœniteo, parcis; si revertor, suscipis; insuper dum differo, præstolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem. Doces ignorantem, mœren-

tem mulces; à ruina ſuſcitas, poſt lapſum reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, & pulſanti aperis. Ecce Domine Deus ſalutis meæ, quid opponam, neſcio; quomodo reſpondeam, ignoro. Nullum abs te confugium, nullum à te patet latibulum. Oſtendiſti mihi bene vivendi viam, & gradiendi ſcientiam dediſti; minatus es mihi gehennam, & pollicitus es mihi paradiſi gloriam.

3. Nunc Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, confige timore tuo carnes meas, quatenus quæ minaris metuendo evadam; & redde mihi lætitiam ſalutaris tui, ut quæ ſpondes diligendo percipiam. Fortitudo mea Domine, firmamentum meum, Deus meus, refugium meum, & liberator meus: ſuggere, quid de te cogitem; doce, quibus te ſermonibus invocem; da, quibus operibus tibi placeam. Scio namque, ſcio unum, quo tu placaris; & aliud, quod non ſpernis. Eſt utique tibi ſpiritus contribulatus ſacrificium, & acceptas cor contritum & humiliatum. His me Deus meus, adjutor meus, dita muneribus. His contra inimicum muni protectionibus; hoc de flammis vitiorum præſta refrigerium; his autem deſideriorum paſſionibus pande pium refugium.

4. Fac Domine virtus ſalutis meæ, ne ſim de numero eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Obumbra caput meum in die belli, ſpes mea in die afflictionis, & ſalus in tempore tribulationis.

5. En Domine illuminatio mea, & salus mea, rogavi, quibus egeo; intimavi, quæ timeo; sed remordet me conscientia, reprehendunt me cordis secreta; & quod amor ministrat, timor dissipat, zelus incitat, metus increpat. Acta mea formidinem, sed tua ingerit pietas fiduciam; tua hortatur benignitas, mea tardat malignitas. Et, ut verius fatear, occurrunt memoriæ phantasmata vitiorum, quæ reverberant audaciam præsumentium animorum.

CAPVT III.

Hominis conquestio, qui propter inobedientiam à Domino non auditur.

1. CVm enim quis odio dignus sit, qua fronte gratiam requirit? Cui pœna debetur, qua temeritate gloriam deposcit? Lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti quærit præmiis honorari. Regi insultat obnoxius supplicio, qui donari flagitat indebito bravio; & dulcem affectum patris stultus exacerbat filius, qui post illatas contumelias ante pœnitudinem hæreditatis usurpat celsitudinem. Quid, mi Pater, me gessisse recolo? Merui mortem, & peto vitam. Commovi regem meum, cujus impudens invoco præsidium. Contempsi judicem, quem temere postulo adjutorem. Insolens renui audire Patrem, quem demum præsumo habere tutorem.

2. Heu mihi quam sero venio: heu, heu, quam tarde festino: heu me, quia curro post vulne-

vulnera, dedignans incolumis præcavere jacula. Neglexi prospicere tela, modò verò sollicitor de morte vicina. Vulnera vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addere non timui: Recenti cicatrices labe respersi, quia prisca flagitia modernis iniquitatibus reciprocavi; & quæ divina solidaverat medicina, mea resolvit prurigo phrenetica. Cutis quæ superducta vulneribus morbum celaverat, sanie erumpente putruit: quia iterata iniquitas, concessam misericordiam exinanivit. Novi quippe scriptum: in quacunque hora justus peccaverit, omnes justitiæ ejus obliviscentur. Si justitia aboletur justi ruentis, quanto magis pœnitentia peccatoris in idipsum revertentis? Quoties ut canis redii ad vomitum, & quasi sus repetii volutabrum?

3. Fateor, quia mihi recordari est impossibile, quod mortalium ignorantes peccare docui, nolentibus delinquere persuasi, resistentes coëgi, volentibus consensi: Quod sane gradientibus laqueum induxi, viam quærentibus foveam retexi, ut patrare non horrerem, obliviſci non metui. Sed tu justus judex signans peccata, quasi in sacculo observasti omnes semitas meas, & cunctos gressus meos dinumerasti. Tacuisti semper, siluisti, patiens fuisti. Væ mihi, demum loqueris quasi parturiens.

CAPVT IV.

Iudicis timor.

1. DEus deorum, Domine præstabilis super malitia; novi, quia manifestus venies; novi, quia non semper silebis, cum in conspectu tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas valida ingruerit; cum advocaveris cælum desuper, & terram discernere populum tuum. Et ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ; tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simulque loquutionum. Tot judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exemplar. Tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos justis dederunt actionibus. Domine mi, non suppetit, quid dicam: non occurrit, quid respondeam. Et cum jam interim sævo illi discrimini, torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarctat avaritia, accusat superbia, consumit invidia. Inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat gula, ebrietas confutat; detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas objurgat, discordia dissipat, ira perturbat, lenitas dissolvit, torpor opprimit, hypocrisis fallit; adulatio frangit, favor attollit, calumnia pungit.

2. Ecce, liberator meus de gentibus iracundis,

cundis. Ecce cum quibus vixi à die nativitatis meæ, quibus & ſtudui, quibus & fidem ſervavi. Ipſa me, quæ dilexeram, ſtudia damnant; quæ laudaveram, vituperant. Hi ſunt, quibus acquievi, amici; quibus parui, magiſtri; & quibus ſervivi, domini: Conſules quibus credidi, cives quibus cohabitavi, domeſtici quibus conſenſi. Heu mihi, Rex meus & Deus meus: quia incolatus meus prolongatus eſt. Væ mihi, illuminatio mea, qui habitavi cum habitantibus Cedar. Et cum David ſanctus dixerit multum, quanto magis ego infœlix dicere poſſum, Nimis incola fuit anima mea; Firmamentum Deus meus, non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Spes mea non eſt in filiis hominum. Quem, ſi remota pietate judicaveris, juſtum invenies? Et niſi præveneris miſerando impium, non eſt qui glorificet pium.

3. Credo namque, ſalus mea, qui audivi quoniam benignitas tua ad pœnitentiam me adducit; tui oris mihi ſonuerunt nectarea labia: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus, qui miſit me, traxerit eum. Enimvero quia me inſtruxiſti, tanquam propitius inſtructione formaſti, totis medullis cordis, toto niſu mentis, rogo te omnipotens Pater, cum dilectiſſimo Filio tuo, teque dulciſſima proles, cum ſereniſſimo invoco Paracleto, trahe me, quatenus poſt te curram in odorem unguentorum tuorum dulciter.

CA-

CAPVT V.

Invocatur Pater per Filium.

1. INvoco te Deus meus, invoco te: quia prope es omnibus invocantibus te in veritate. Tu enim veritas es: doce me (quæso) per clementiam tuam, ſancta Veritas, doce me invocare te in veritate, quia hoc fieri quomodo oporteat, neſcio; ſed à te doceri, beata veritas, humiliter imploro. Abſque te enim ſapere, eſt deſipere: te vero noſſe, eſt perfecte ſcire. Erudi me divina ſapientia, & doce me legem tuam. Credo namque, beatus erit, quem tu erudieris, & de lege tua docueris eum. Deſidero invocate te, quod quæſo fiat in veritate. Quid eſt in veritate invocare Veritatem, niſi in Filio Patrem? Ergo ſancte Pater, ſermo tuus veritas eſt, principiumque verborum tuorum veritas: hoc quippe eſt verborum tuorum principium, quod in principio erat Verbum. In ipſo principio te ſummum adoro principium. In ipſo veritatis verbo, te perfecta invoco Veritas, in quo ipſa eadem veritas, dirigas me in veritate & doceas.

2. Quid enim eſt dulcius, quam genitorem in nomine unigeniti invocare? Patrem in recordatione Filii ad pietatem inflectere? Regem, chariſſimæ ſobolis denominatione mitigare? Sic enim ſolent rei carceribus eripi, ſic commancipati vinculis liberari; ſic triſtem accipientes ſententiam capitis, non ſolum abſolvi, ſed inſuper nanciſci inſolitam

tam gratiam. Dummodo iratis Principibus dilectæ prolis intimaverint Charitatem. Sic delinquentes ſervuli evadunt ſupplicia dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorum. Sic te omnipotens Pater per omnipotentis Filii charitatem poſtulo, educ de carcere ad confitendum nomini tuo, animam meam. Libera me à vinculis peccatorum, per coæternum flagito unicum tibi natum; meque, cui propria merita, lethalem minantur ſententiam, precioſiſſimæ ad dexteram tuam conſedentis prolis interpellatione reſtaura placatus ad vitam.

3. Quem enim alium dirigam interceſſorem tibi, neſcio, niſi hunc, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris; qui ſedet ad dexteram tuam, interpellans pro nobis. Ecce advocatus meus, apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex Summus, qui non alieno eget expiari ſanguine; quia proprio refulget perfuſus cruore. Ecce hoſtia ſancta, beneplacens & perfecta, in odorem ſuavitatis oblata & accepta. Ecce agnus ſine macula, qui coram ſe tondentibus obmutuit; qui alapis cæſus, ſputis illitus, opprobriis affectus, os ſuum non aperuit. En, qui peccatum non fecit, peccata noſtra pertulit, & languores noſtros ſuo livore ſanavit.

CAPVT VI.

Hic præſentat homo Patri paſſionem Filii.

1. ASpice pie Pater piiſſimum Filium, pro me tam impia paſſum. Reſpice cle-

clementissime Rex, quis patitur, & reminiscere benignus, pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine, innocens ille, quem, ut servum redimeres, filium tradidisti? Nunquid non auctor vitæ hic est, qui, ut ovis ad occisionem ductus, tibique usque ad mortem obediens factus, atrocissimæ non timuit necis genus subire? Recole totius salutis dispensator, quia hic est ipse, quem etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluisti. Vere hæc est tua Deitas, quæ meam induit naturam; crucis adscendit patibulum, quæ in assumpta carne triste tulit supplicium. Reduc, Domine Deus meus, oculos tuæ Majestatis super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum, toto corpore extensum. Cerne manus innoxias pio manantes sanguine: & remitte placatus scelera, quæ patrarunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renova me sacro fonte, quem inde credo fluxisse.

2. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tua diris confixa clavis: & perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis. Viam iniquitatis amove à me, & fac me, propitius viam veritatis eligere. Oro te Rex Sanctorum, per hunc Sanctum Sanctorum, per hunc Redemptorem mei; fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu uniri, qui mea non horruit carne vestiri. Nunquid non attendis,

pie Pater, adoleſcentis filii chariſſimi caput nivea cervice deflexa precioſiſſimum reſolutum in mortem! Aſpice mitiſſime conditor, dilectæ ſobolis humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatem.

3. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tenſa arent viſcera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati ſanguinis unda. Specta, glorioſe genitor gratiſſimæ prolis lacerata membra; & memorare benignus, quæ mea eſt ſubſtantia. Conſpicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam. Vide Redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum. Hic eſt, Domine mi, quem propter peccata populi tui percuſſiſti, licet ipſe ſit dilectus in quo tibi bene placuiſti. Hic eſt ille innocens, in quo dolus non eſt inventus, & tamen inter iniquos deputatus eſt.

CAPVT VII.

Hic recognoſcit homo ſe cauſam eſſe Paſſionis.

1. QVid commiſiſti, dulciſſime puer, ut ſic judicareris? Quid commiſiſti, amantiſſime juvenis, ut adeo dure tractareris? Quod ſcelus tuum, quæ noxa tua, quæ cauſa mortis, quæ occaſio tuæ damnationis? Ego, ego ſum tui plaga doloris, tuæ culpa occiſionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium: Ego tuæ paſſionis livor, tui cruciatus labor. O admirabilis cenſuræ

ſuræ conditio, & ineffabilis myſterii diſpoſitio! peccat iniquus, & punitur juſtus. Delinquit reus, & vapulat innocens. Offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus, quod perpetrat ſervus, exſolvit Dominus; quod committit homo, ſuſtinet Deus. Quo nate Dei, quo tua deſcendit humilitas? Quo tua flagravit charitas? Quo proceſſit pietas? Quo excrevit benignitas? Quo tuus attigit amor? Quo pervenit compaſſio?

2. Ego enim inique egi, tu pœna mulctaris. Ego facinus admiſi, tu ultione plecteris. Ego crimen edidi, tu torturæ ſubjiceris. Ego ſuperbivi, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediens extiti, tu obediens ſcelus inobedientiæ luis. Ego gulæ parui, tu inedia afficeris. Me ad illicitam concupiſcentiam rapuit arbor, te perfecta charitas duxit ad crucem. Ego præſumpſi vetitum, tu ſubiiſti eculeum. Ego delector cibo, tu laboras patibulo. Ego fruor deliciis, tu laniaris clavis. Ego pomi dulcedinem, tu fellis guſtas amaritudinem. Mihi ridens congaudet Eva, tibi plorans compatitur Maria. Ecce Rex gloriæ. Ecce mea impietas, & tua claret pietas. En mea injuſtitia, & tua liquet juſtitia.

3. Quid Rex meus, & Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Non enim inveniri poteſt in corde hominis, quod condignè talibus referatur præmiis. Nunquid ſagacitas machinari poteſt humana, cui comparetur miſeratio divi-

na? Nec est creaturæ moliri officium, quo juste creatoris recompenset: præsidium. Est autem nate Dei in hac tua admirabili dispensatione, est cui fragilitas mea in aliquo suppetit, si tua visitatione compuncta mens, carnem suam crucifigat cum vitiis & concupiscentiis. Et hoc cum à te conceditur, quasi tam tibi incipit compati; quia & tu pro peccato meo dignatus es mori. Sicque per interioris hominis victoriam, te duce armabitur ad exteriorem palmam: quatenus devicta persequutione spirituali, non vereatur pro amore tui subjici gladio materiali. Ita exiguitas conditionis, si tuæ complaceat pietati, magnitudini valebit pro viribus respondere creatoris. Et hæc cœlestis medicina, bone Iesu, hoc tui antidotum amoris. Oro te per antiquas misericordias tuas, infunde vulneribus meis, quo rejecta viperææ contagionis bile reintegret me incolumitati pristinæ; quo gustato tuæ nectare suavitatis, faciat me illecebrosa mundi toto affectu despicere, & nulla ejus adversa pro te formidare, memorque perpetuæ nobilitatis semper fastidiam ventos hujus transitorii timoris.

4. Nihil (quæso) sine te, mihi dulcescat; nihil complaceat, nil pretiosum, nihil præter te mihi arrideat speciosum. Vilescant, obsecro, absque te mihi omnia, sordeant universa. Quod tibi adversum est, sit mihi molestum; & tuum beneplacitum, mihi indeficiens desiderium. Tædeat me gaudere sine te, & delectet contristari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, & memoria tui

tui consolatio: fiant mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte investigando justificationes tuas; sit bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. Sit obedire tibi mihi amabile; & resistere tibi execrabile. Rogo te, spes mea, per omnes pietates tuas ut propitieris impietatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis, & ne declines (flagito) per nomen sanctum tuum in verba malitiæ cor meum, ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, ne veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.

CAPVT VIII.

Hic exponit homo Deo Patri passionem Filii in sui reconciliationem.

1. ECce omnipotens Deus pater Domini mei, dispone benignus, quo misereatis mei, quoniam quicquid precioſius inveni, devote obtuli; quicquid charius reperi, suppliciter præsentavi. Nihil mihi reliqui, quin tuæ exposuerim Majestati; nihil jam supereſt, quod adjiciam: quia totam tibi delegavi spem meam. Direxi tibi advocatum meum, dilectum Filium tuum. Misi glorioſam progeniem, inter me & te mediatorem: Misi, inquam, interceſſorem, per quem confido veniam. Misi verbis Verbum, quod pro meis dixi missum factis, & numeravi tibi sanctissimæ sobolis passionem, quam pro me credo fuisse perpeſſam. Credo à te missam deitatem, meam suscepisse humanitatem; in qua dignum duxit

alapas, vincula, ſputa, irriſiones perferre, nec non crucem, clavos telumque ſuſcipere. Hanc olim infantiæ vagitibus demolitam, pueritiæ pannis conſtrictam, juventutis ſudoribus vexatam, jejuniis maceratam, vigiliis afflictam, itineribus feſſam, poſtea affectam flagris, laceratam ſuppliciis, deputatam cum mortuis, dotatam gloria reſurrectionis, cœlorum gaudio induxit, & in dexteram tuæ celſitudinis collocavit. Hæc placatio mea, & propitiatio tua.

2. Hic attende pius, quem genueris filium, & quem redemeris ſervum. Hic aſpice factorem, & ne deſpicias facturam. Amplectere ſerenus paſtorem, & reſpice miſericors allatam propriis humeris ovem. Hic eſt fideliſſimus paſtor ille, qui ovem dudum errabundam per abrupta montium, per præcipitia vallium, multis variiſque quæſierat laboribus. Quique jam morienti, jam per longa exilia deficienti, tandem inventæ gaudens ſe ſuppoſuit, & miro ſibi anniſu charitatis annexam, de profunda confuſionis abyſſo levavit, piiſque aſtrictam complexibus, ad nonaginta novem unam, quæ perierat, reportavit.

3. Ecce Domine mi rex, Deus omnipotens, ecce Paſtor bonus refert tibi quod commiſiſti ei. Suſcepit te diſponente ad ſalvandum hominem, quem tibi reſtituit omni labe immunem. Ecce tuum tibi clariſſimus natus plaſma reconciliavit, quod à te procul deviavit. En, gregi tuo Paſtor mitis reportat, quod prædo violentus abegerat. Reddit tuis con-

conſpectibus ſervum, quem ſua fecerat conſcientia fugitivum; ut qui per ſe meruit pœnam, per ſatisfactionem hujus mereatur veniam, cuique pro culpis ſupererat gehenna, tanto duce jam confidat revocari ad patriam. Potui per me ſancte Pater offendere, ſed non valui per me placare te. Factus eſt adjutor meus, Deus meus, tuus dilectus filius, meam participans humanitatem, ut curaret infirmitatem; quatenus, unde cauſa emerſerat offenſionis, deinde tibi immolaret ſacrificium laudis; meque per hoc redderet tuæ pietati placabilem, quo ſedens ad dexteram tuam, ſemper meæ ſubſtantiæ ſe oſtenderet eſſe conſortem. Ecce ſpes mea, ecce fiducia mea.

4. Si me pro mea, ut dignum eſt, deſpicis iniquitate, reſpice me ſaltem miſericors, pro dilectæ ſobolis charitate. Attende in filio, quo propitieris ſervo. Vide carnis ſacramentum, & remitte carnis reatum. Quoties beatæ prolis tibi patent vulnera, deliteſcant (obſecro) ſcelera mea. Quoties rubet precioſus pio de latere ſanguis, diluantur (obſecro) labes meæ pollutionis. Et quia caro te laceſſivit ad iram, caro te flectat (imploro) ad miſericordiam; ut ſicut me caro ſeduxit ad culpam, ſic caro deducat ad veniam. Multum namque eſt quod mea meretur impietas, longe autem majus, quod redemptoris mei repoſcit jure pietas. Magna enim eſt mea injuſtitia; ſatis vero major redemptoris juſtitia. Quanto namque eſt ſuperior Deus homine, tanto mea malitia eſt infe-

rior ejus bonitate, & qualitate & quantitate.

5. Quid enim deliquit homo, quod non redemerit filius Dei factus homo? Quæ tanta ſuperbia tumeret, quam non tanta humilitas ſterneret? Quodnam tantum mortis imperium, quod nati Dei non deſtrueret crucis ſupplicium? Nimirum Deus meus, ſi æqua lance delicta peccantis hominis, & redimentis gratia librentur autoris: non tantum Oriens ab Occidente, ſeu inferior ſeparatur infernus à ſummo cæli cardine. Iam lucis optime creator, jam culpis ignoſce meis pro dilecti filii tui laboribus immenſis. Iam ejus (quæſo) pietati mea impietas, ejus modeſtiæ mea perverſitas, & ejus manſuetudini mea dometur ferocitas; Iam ejus humilitas, meam ſuperbiam; patientia, impatientiam; benignitas, duritiam; obedientia, inobedientiam; tranquillitas, inquietudinem; dulcedo, amaritudinem; ſuavitas, iram; charitas, lucrifaciat crudelitatem.

CAPVT IX.

De invocatione Spiritus ſancti.

1. IAm, ô divini amor numinis, Patris omnipotentis, proliſque beatiſſimæ ſancta communicatio, omnipotens paraclete Spiritus, mœrentium conſolator clementiſſime, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebroſa quæque laris neglecti latibula, coruſci luminis fulgore habitator lætifica, tuique roris abundantia, longo ariditatis marcentia ſquallore, viſitando

do fœcunda. Saucia interioris hominis arcana, tui amoris jaculo; & torpentis medullas jecoris, flammis salutaribus penetrando succende; sanctique fervoris igne illustrando, intimæ mentis & corporis universa depasce.

2. Pota me torrente voluptatis tuæ, ut nil jam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Iudica me Domine, & discerne causam meam de gente non sancta, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Credo ergo, quod quemcunque inhabitaveris, Patris ac pariter Filii domicilium condis. Beatus, qui te merebitur hospitem, quoniam per te Pater & Filius apud eum facient mansionem. Veni jam, veni benignissime dolentis animæ consolator, protegens in opportunitatibus & in tribulatione adjutor. Veni mundator scelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, relevator labentium. Veni humilium doctor, superborum destructor. Veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis judex. Veni spes pauperum, refocillator deficientium. Veni navigantium sidus, naufragii portus. Veni omnium viventium singulare decus, morientium unica salus. Veni sanctissime Spiritus, veni, & miserere mei: apta me tibi, & condescende propitius mihi; ut mea tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas, secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum, per Iesum Christum Salvatorem meum, qui cum Patre in tua unitate vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT X.

Oratio servi Dei, de se humiliter sentientis.

1. SCio Domine, scio & fateor, quod non sum dignus quem tu diligas, sed certe tu non es indignus, quem ego diligam. Indignus quidem sum tibi servire; sed tu non es indignus servitio creaturæ tuæ. Da ergo mihi Domine, unde tu es dignus; & ego ero dignus, unde sum indignus. Fac me, quomodo vis, à peccatis cessare, ut quomodo debeo, possim tibi servire. Concede mihi sic custodire, & regere, & finire vitam meam, ut in pace dormiam, & in te requiescam. Præsta mihi in finem, ut me excipiat somnus cum requie; requies cum securitate; securitas in æternitate. Amen.

CAPVT XI.

Oratio ad sanctam Trinitatem.

1. TE Deum Patrem ingenitum: te Filium unigenitum: te Spiritum sanctum paracletum: sanctam & individuam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus; tibi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XII.

Confessio omnipotentis Dei & majestatis ejusdem.

1. O Summa Trinitas virtus una, & indiscreta majestas; Deus noster, Deus omnipotens, confiteor tibi ego ultimus servorum tuorum, & exiguum membrum Eccle-

Ecclesiæ tuæ confiteor tibi, & honorifico te, debito sacrificio laudis pro scire & posse, quod mihi tantillo donare dignatus es. Et quia exteriora mihi munera desunt, quæ possim offerre; ea quæ in me sunt vota laudationis, ex dono misericordiæ tuæ, ecce libens atque ovans offero tibi, de fide non ficta, & conscientia pura.

2. Credo igitur te toto corde Rex cæli & terræ Domine, & oro te; confiteor Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in personis trinum, & in substantia unum, verum Deum omnipotentem, unius simplicis, incorporeæ, invisibilis, & incircumscriptæ naturæ, nihil te superius aut inferius majusve aliquid habentem, sed per omnem modum sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio verum, sine situ ubique præsentem, sine loco ubique totum, sine extensione omnia implentem, sine contradictione ubique occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu intra omnia manentem, sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentem; sine tui initio, omnibus initia dantem; sine tui mutatione, omnia mutabilia facientem: In magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consiliis terribilem, in judiciis justum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum,

erga

erga delinquentes patientissimum, erga pœnitentes piissimum: semper idipsum æternum ac sempiternum: immortalem atque incommutabilem, quem nec spatia dilatant, nec brevitas locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant; nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent. Cui nec oblivio tollit quicquam, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit: sed ante sæcula, & in sæculis, & per sæcula in æternum vivis: & est tibi perennis laus & æterna gloria, summa potestas & singularis honor, perpetuum regnum, & sine fine imperium, per infinita & indefessa & immortalia sæcula sæculorum.

CAPVT XIII.

Qualiter generi humano dignatus est subvenire Deus Pater, & de Verbi incarnatione, & gratiarum actione.

1. HVcusque omnipotens Deus, cordis mei inspector & scrutator, confessus sum omnipotentiam Majestatis tuæ, & Majestatem omnipotentiæ tuæ: nunc autem qualiter humano generi subvenire dignatus es in fine sæculorum, sicut corde credo ad justitiam, ita ore coram te confiteor ad salutem. Tu quidem Deus Pater solus, nunquam & nusquam legeris missus. De filio autem tuo ita scribit Apostolus: Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.

ſuum. Cum dicit, (miſit) ſatis oſtendit, quod in hunc mundum miſſus advenit, cum de beata Maria ſemper Virgine natus, verus & perfectus homo in carne apparuit.

2. Sed quid eſt, quod de illo ille Euangeliſtarum præcipuus ait: In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt. Illuc vero miſſus eſt per humanitatem, ubi ſemper fuit, & eſt per divinitatem. Quam videlicet miſſionem opus eſſe totius ſanctæ Trinitatis corde credo, & ore confiteor. Quomodo autem nos amaſti, Pater ſancte & bone? quantum nos dilexiſti, pie conditor, qui etiam proprio filio non pepercisti, ſed pro nobis impiis tradidiſti illum? Subditus tibi ille fuit uſque ad mortem, mortem autem crucis, tollens chirographum peccatorum noſtrorum, & affigens illud cruci, crucifixit peccatum, & occidit mortem. Vnus ille inter mortuos liber, poteſtatem habens ponendi animam ſuam pro nobis, & iterum ſumendi eam pro nobis.

3. Igitur victor & victima, & ideo victor, quia victima pro nobis. Tibi ſacerdos & ſacrificium, & ideo Sacerdos, quia ſacrificium. Merito mihi ſpes valida in illo eſt, quia ſanabis omnes languores meos per eum, qui ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. Languores quippe mei, Domine, magni ſunt & multi: multi ſunt & magni. Habet enim multa in me princeps mundi hujus; ſcio & fateor; ſed rogo te, libera me per ſedentem ad dexteram tuam Redemptorem noſtrum, in quo nihil ſui

mali

mali potuit invenire. Per ipsum me justifica, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Per ipsum caput nostrum, in quo nulla est macula, libera me membrum ejus, licet exiguum & infirmum. Libera, quæso, me à peccatis, vitiis, culpis & negligentiis meis. Reple me tuis sanctis virtutibus, & fac me bonis pollere moribus. Fac me in sanctis operibus propter nomen sanctum tuum perseverare usque in finem, secundum tuam voluntatem.

CAPVT XIV.

De fiducia, quam habere debet anima in Domino Iesu, atque ejus passione.

1. DEsperare utique potuissem propter nimia peccata mea, infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo; quia cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii tui, quanto magis reconciliati salvi facti sumus per eum? Omnis namque spes & totius fiduciæ certitudo mihi est in precioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos, & propter salutem nostram. In ipso respiro, & in ipso confisus ad te pervenire desidero; non habens meam justitiam, sed eam quæ est ex filio tuo Domino nostro Iesu Christo. Unde gratias agimus tibi, clementissime & benignissime amator hominum Deus, qui per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, cum non essemus, potenter fecisti nos: & cum perditi fuissemus culpa

nostra,

noſtra, mirabiliter liberaſti & recuperaſti nos.

2. Gratias ago pietati tuæ, & multas tibi laudes refero ex totis præcordiis meis, qui propter tuam inenarrabilem dilectionem, qua nos miſeros & indignos mirabili bonitate amare dignatus es, miſiſti eundem unigenitum tuum de ſinu tuo ad publicum proficuum noſtrum, ſalvare nos peccatores, tunc filios perditionis. Gratias ago tibi pro ſancta incarnatione & nativitate ejus, & glorioſa genitrice ſua, de qua ipſe carnem aſſumere dignatus eſt propter nos, & propter noſtram ſalutem; ut ſicut Deus verus de Deo, ita verus homo ex homine eſſet. Gratias tibi ago pro paſſione & cruce ejus, pro morte & reſurrectione ejus, pro aſcenſione ejus in cœlum, & ſede Majeſtatis ejus ad dexteram tuam. Ipſe enim quadrageſimo die, poſt reſurrectionem ſuam, aſcendens videntibus diſcipulis ſuper omnes cœlos, ſedenſque ad dexteram tuam, Spiritum ſanctum ſecundum promiſſionem ſuam in filios adoptionis effudit.

3. Gratias tibi ago pro ſacratiſſima illa effuſione pretioſi ſanguinis ejus, quo ſumus redempti; ſimul & pro ſacroſancto & vivifico myſterio corporis & ſanguinis ejus, quo quotidie in Eccleſia tua paſcimur, & potamur, abluimur & ſanctificamur, & unius ſummæ divinitatis participes efficimur. Gratias tibi ago pro tua mira & inenarrabili charitate, qua nos indignos ſic amaſti, & ſalvaſti, per unicum & dilectum filium tuum.

Sic

Sic enim dilexisti mundum, ut unigenitum tuum dares: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscamus te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, per fidem rectam, & condigna fidei opera.

CAPVT XV.

De immensa charitate Patris æterni ad genus humanum.

1. O Immensa pietas, ô inæstimabilis charitas! ut liberares servum, filium tradidisti. Deus factus est homo, ut perditus homo, de potestate dæmonum erueretur. Quam benignissimus amator hominum, filius tuus Deus noster, cujus piis visceribus non satis visum est, ut se inclinaret factus homo de Virgine Maria, nisi etiam subiret crucis supplicium effuso sanguine propter nos, & propter nostram salutem. Venit pius Deus, venit pro pietate & bonitate sua, venit quærere & salvum facere, quod perierat. Quæsivit ovem perditam, quæsivit & invenit, & humeris suis reportavit ad caulas gregis pius Dominus, & vere multum pius Pastor.

2. O charitas, ô pietas! Quis audivit talia? Quis super tanta misericordiæ viscera non obstupescat? Quis non miretur? Quis non collætetur propter nimiam charitatem tuam, qua nos dilexisti? Misisti filium tuum in similitudinem carnis peccati; ut de peccato damnaret peccatum, ut nos efficeremur justi-

tia

tia tua in ipso. Ipse enim verus est agnus immaculatus, qui abstulit peccata mundi: qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.

3. Sed quid tibi retribuere possumus Deus noster, pro tantis beneficiis misericordiæ tuæ? Quas laudes, quasve gratiarum actiones? Etiamsi illa beatorum Angelorum scientia & potentia nobis foret, nihil tamen dignum tantæ pietati & bonitati tuæ recompensare valeremus. Si certe omnia membra nostra verterentur in linguas, ad rependendum tibi debitas laudes, nequaquam sufficeret exiguitas nostra: supereminet enim omnem scientiam tua inæstimabilis charitas, quam ostendisti nobis indignis pro sola bonitate & pietate tua. Filius namque tuus Deus noster, non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, assimilatus nobis per omnia absque peccato. Humanam itaque, non angelicam suscipiens naturam, & eam stola sanctæ resurrectionis & immortalitatis glorificans, vexit super omnes cælos, super omnes choros Angelorum, super Cherubim & Seraphim, collocans ad dexteram tuam. Hanc autem laudant Angeli, adorant Dominationes, & omnes Virtutes cælorum tremunt super se hominem Deum.

4. Hæc nempe mihi tota est spes omnisque fiducia. Est enim in ipso Iesu Christo Domino nostro uniuscujusque nostrum portio, caro & sanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi caro mea glorificatur,

ibi glorioſum me eſſe cognoſco. Vbi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio. Quamvis peccator ſim, de hac communione gratiæ non diffido. Et ſi peccata mea me prohibent, ſubſtantia mea requirit. Et ſi delicta mea me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis eſt Deus, ut obliviſcatur hominis; & non meminerit ipſius quem ipſe geſtat, & quem mei cauſa ſuſcepit: ejus, quem mei cauſa requirit.

5. Mitis vero & valde benignus eſt Dominus Deus noſter; & diligit carnem ſuam, membra ſua, & viſcera ſua. In ipſo Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto dulciſſimo, benigniſſimo atque clementiſſimo, in quo reſurreximus, & jam cœlos aſcendimus, & jam cœleſtibus conſedemus, caro noſtra nos diligit. Habemus autem ſanguinis noſtri prærogativam in ipſo. Sumus autem membra ejus & caro ejus. Ipſe denique eſt caput noſtrum, ex quo totum corpus, ſicut ſcriptum eſt: Os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: & erunt duo in carne una. Et nemo unquam carnem ſuam odio habet, ſed fovet & diligit eam. Myſterium hoc magnum eſt; ego dico in Chriſto, & in Eccleſia (ait Apoſtolus.)

CAPVT XVI.

De duplici Chriſti natura, qui nobis miſeretur, & pro nobis interpellat.

1. GRatias itaque ago labiis & corde, & omni qua valeo virtute, infinitæ miſericordiæ tuæ, Domine Deus noſter; pro omni-

omnibus miſerationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis ſubvenire dignatus es; per eundem filium tuum ſalvatorem & recuperatorem noſtrum, qui mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram: & nunc vivens ſine fine ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis: & ſimul tecum miſeretur; quia Deus eſt ex te Patre, coæternus & conſubſtantialis tibi per omnia; unde poteſt in perpetuum nos ſalvare: ſed ſecundum id, quod homo eſt, ex qua parte minor te eſt, data eſt ei omnis poteſtas in cœlo & in terra: ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt tua, Deus Pater omnipotens. Ipſe quidem conſtitutus eſt à te judex vivorum & mortuorum; tu vero non judicas quemquam, ſed omne judicium tuum dediſti filio tuo: in cujus pectore reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ.

2. Ipſe autem teſtis & judex eſt, judex & teſtis, quem nulla peccatrix conſcientia effugere poterit. Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis ejus. Ipſe ſane, qui injuſte judicatus eſt, judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in juſtitia. Benedico ergo nomen ſanctum tuum in æternum, & glorifico ex toto corde meo, omnipotens & miſericors Domine, pro illa inenarrabili & mirabili conjunctione divinitatis & humanitatis in unitate perſonæ; ut non alter Deus, alter

homo esset: sed unus idemque Deus & homo, homo & Deus. Sed licet mirabili dignatione, Verbum caro factum sit: neutra tamen ex duabus naturis, in aliam mutata est substantiam. Trinitatis mysterio, quarta non est addita persona. Vnita quippe est, non confusa verbi Dei hominisque substantia, ut in Deum, quod ex nobis susceptum fuerat, perveniret; & illud quod nunquam fuerat, idem quod semper fuerat, permaneret.

3. O admirabile mysterium! O inenarrabile commercium! O mira semperque miranda, semperque amanda divinæ propitiationis benignitas! Servi digni non fuimus, & ecce filii Dei facti sumus: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Vnde hoc nobis, & quis nos ad hoc perduxit? Sed rogo te, clementissime Pater Deus, per hanc inæstimabilem pietatem, bonitatem, & charitatem tuam; ut dignos nos facias multis & magnis promissionibus ejusdem filii tui Domini nostri Iesu Christi. Manda virtuti tuæ, & confirma hoc quod operatus es in nobis: perfice quod cœpisti; ut ad plenam tuæ pietatis gratiam mereamur pervenire. Fac nos per Spiritum sanctum intelligere, & mereri, & debito semper honore venerari hoc magnum pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, adsumptum est in gloria.

CAPVT

CAPVT XVII.

De gratia, quam habere debet homo Deo pro beneficio redemptionis.

1. O Quantum sumus tibi debitores Domine Deus noster, tanto redempti precio, tanto salvati dono, & tam glorioso adjuti beneficio! O quantum à nobis miseris es timendus, amandus, benedicendus, laudandus, honorandus & glorificandus; qui nos sic amasti, sic salvasti, sic sanctificasti, sic sublimasti? Tibi nempe debemus omne quod possumus, omne quod vivimus, omne quod sapimus. Sed quis habet quicquam non tuum? Tu Domine Deus noster, à quo bona cuncta procedunt, propter te & nomen sanctum tuum da nobis de bonis tuis, ut de bonis ac datis tuis serviamus tibi, & in veritate placeamus, atque debitas quotidie laudes rependamus tibi pro tantis beneficiis misericordiæ tuæ.

2. Non enim aliunde possumus tibi servire, neque placere, nisi de tuo munere. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum: apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Domine Deus noster, Deus pie, Deus bone, Deus omnipotens, Deus ineffabilis, & incircumscriptæ naturæ: Deus institutor omnium rerum, & Domini nostri Iesu Christi Pater, qui eundem dilectum filium tuum Dominum nostrum dulcissimum misisti de sinu tuo ad publicum proficuum nostrũ, suscipere

vitam noſtram, ut nobis donaret ſuam, eſſetque perfectus Deus ex te Patre, & perfectus homo ex matre: totus Deus & totus homo, unus idemque Chriſtus æternus & temporalis, immortalis & mortalis, creator & creatus, fortis & infirmus, victor & victus, nutritor & nutritus, paſtor & ovis, temporaliter mortuus, & tecum vivens in æternum: ſuis dilectoribus vitæ municipium promittens, ſuis diſcipulis dixit: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

3. Per ipſum ſummum Sacerdotem & verum Pontificem, & bonum Paſtorem, qui ſe tibi obtulit in ſacrificium, ponens animam ſuam pro grege ſuo, te rogo per ipſum, qui ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis, redemptorem & advocatum noſtrum: pietati & bonitati tuæ ſupplico, clementiſſime & amantiſſime & benigniſſime amator hominum Deus; ut des mihi cum eodem filio tuo & ſpiritu ſancto te in omnibus benedicere & glorificare, cum multa cordis contritione & lacrymarum fonte, cum multa reverentia, & tremore. Quia quorum una eſt ſubſtantia, unum eſt & datum.

4. Sed quoniam corpus, quod corrumpitur, aggravat animam: excita (quæſo) torporem meum tuis ſtimulis; & fac me ſtrenue perſeverare in præceptis & laudibus tuis die ac nocte: Tribue, ut concaleat cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcat ignis. Et quia ipſe tuus unicus natus dixit: Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum; &: Nemo venit ad Patrem, niſi

nisi per me : obsecro & suppliciter rogo, trahe me semper ad ipsum; ut ipse me tandem perducat ad te illuc, ubi ipse est in dextera tua sedens : Vbi est sempiterna vita, sempiterne beata : Vbi est amor perfectus, & timor nullus : Vbi est dies æternus, & unus omnium spiritus : ubi summa & certa securitas, & secura tranquillitas : & tranquilla jucunditas, & jucunda fœlicitas, & fœlix æternitas, & æterna beatitudo, & beata tui sine fine visio & laudatio : Vbi tu cum illo, & ille tecum in communione sancti Spiritus, æternaliter ac sempiternaliter vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XVIII.

Oratio devotißima ad Christum.

1. SPes mea Christe Deus, hominum tu dulcis amator,
Lux, via, vita, salus, decor, & decus omne tuorum :
Omnia pro quorum voluisti ferre salute,
Cernito vincla, crucem, vulnus, mortem atque sepulchrum.
Post tres inde dies devicta morte resurgens,
Discipulis visus, nutantia corda reformans,
Luce quaterdena cœlorum summa petisti.
Vivis in æternum, nunc & per sæcula regnans.

Tu es Deus meus vivus & verus, Pater meus sanctus, Dominus meus pius, rex meus magnus, pastor meus bonus, magister meus unus, adjutor meus optimus, dilectus meus

pulcherrimus, panis meus vivus, sacerdos meus in æternum, dux meus ad patriam, lux mea vera, dulcedo mea sancta, via mea recta, sapientia mea præclara; simplicitas mea pura, concordia mea pacifica, custodia mea tuta; portio mea bona, salus mea sempiterna, misericordia mea magna, patientia mea robustissima, victima mea immaculata, redemptio mea sancta, spes mea firma, charitas mea perfecta; resurrectio mea vera, vita mea æterna, exultatio & visio mea beatissima, & sine fine mansura: Te deprecor, supplico, & rogo, ut per te ambulem, ad te perveniam, in te requiescam: qui es via, veritas, & vita; sine qua, nemo venit ad Patrem. Te enim desidero, dulcissimum & pulcherrimum Dominum.

2. O splendor paternæ gloriæ, qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos, lumen veridicum, lumen illuminans, lumen indeficiens, in quem desiderant Angeli prospicere. Ecce cor meum coram te est: discute tenebras ejus, ut amoris tui claritate plenius perfundatur. Da mihi Deus meus te, redde mihi te: en amo te, &, si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam quantum desit mihi amoris tui ad id quod satis est; ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tamen scio, quia male mihi est præter te Domine, non solum extra me, sed in me ipso. Omnis enim copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est.

3. Bonum

3. Bonum namque, quod neque in melius neque in deterius commutari potes, tu solus es, qui simpliciter solus es, cui non est aliud vivere & aliud beate vivere, quia tua beatitudo tu es. Creatura vero tua, tui est aliud vivere, & aliud beate vivere, omne quod vivit, & beate vivit, non debet nisi gratiæ tuæ attribuere. Et ideo nos egemus tui, non tu nostri: quia si omnino non essemus, nihil tibi deesset ad bonum, quod tu es. Tibi itaque Domino Deo nostro semper adhærere necesse habemus, ut per continuum auxilium tuum sancte, & pie, & recte vivere valeamus. Pondere siquidem fragilitatis nostræ deorsum trahimur: dono autem tuo accendimur, & sursum ferimur: inardescimus & imus, ascendimus, ascensiones in corde facimus: & cantamus canticum graduum: igne tuo bono inardescimus, & imus.

4. Quonam? sursum imus ad pacem Hierusalem: quoniam jucundatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Illic collocavit nos voluntas bona, ut nihil velimus aliud, quam permanere illic in æternum. Sed quia dum sumus in corpore, peregrinamur à te Domine, non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus: noster autem municipatus in cœlis est. Ideo duce gratia tua, ingredior in cubile cordis mei: & canto tibi amatoria, rex meus & Deus meus, gemens inenarrabiles gemitus, in loco peregrinationis meæ: ubi cantabiles mihi factæ sunt justificationes tuæ.

5. Et recordans Hierusalem, extendo in eam sensum cordis: Hierusalem patriam meam, Hierusalem matrem meam, teque super eam regnatorem, illustratorem, patrem, tutorem, patronum, rectorem, pastorem, castas & fortes delicias, solidum gaudium, & omnia bona, ineffabilia simul omnia: quia unum summum & verum bonum. Et non avertar, donec in ejus pacem matris charissimæ, ubi sunt primitiæ spiritus mei, colligas totum, quod sum à dispersione & deformitate hac, & conformes atque confirmes in æternum, Deus meus, misericordia mea.

CAPVT XIX.

Hic distinguit inter sapientiam quæ domus Dei est, & sapientiam quæ divina est.

1. HÆc est domus tua Deus non terrena, neque ulla cœlesti mole corporea, sed spiritualis & particeps æternitatis, quia sine labe manet in æternum: statuisti enim eam in sæculum sæculi: præceptum posuisti, & non præteribit. Hæc tamen tibi Deo coæterna, quia non sine initio facta est. Prior quippe omnium creata est sapientia. Non utique illa sapientia Patri Deo plane coæterna & coæqualis, per quam creata sunt omnia, & in quo principio factum est cœlum & terra, sed profecto sapientia, quæ creata est spiritualis natura, scilicet, quæ contemplatione luminis lumen est. Dicitur enim & ipsa (quamvis creata) sapientia. Sed quantum distat inter lumen illuminans, & lumen

lumen quod illuminatur, tantum differt inter te ſummam ſapientiam, quæ es creans, & iſtam quæ creata eſt ſicut inter juſtitiam juſtificantem, quæ tu Deus noſter es, & juſtitiam quæ juſtificatione noſtra facta eſt. Nam & nos ſumus dicti juſtitia Dei Patris, in te filio ejus Domino noſtro, teſtante Apoſtolo.

2. Ergo, quia prior omnium creata eſt quædam ſapientia, quæ creata eſt mens rationalis & intellectualis, caſtæ ſcilicet civitatis tuæ matris noſtræ, quæ ſurſum eſt, & libera eſt, & æterna in cœlis. Quibus cœlis? Niſi qui te laudant cœli cœlorum, quia hoc eſt & cœlum cœli Domino. Et ſi non invenimus tempus ante illam, quæ creaturam temporis antecedit; quia prior omnium creata eſt: ante illam tamen es tu Deus æternus creator omnium; à quo eſt ipſius creaturæ perpetuitas; à quo facta ſumpſit exordium, quamvis non temporis, quia nondum erat tempus, ipſius tamen conditionis tuæ; unde ita eſt abs te Domino Deo noſtro, ut aliud ſit plane quam tu; licet nec ante illam, nec in illa inveniamus tempus. Eſt enim idonea faciem tuam ſemper videre, nec uſpiam deflectitur ab ea. Quo fit, ut nulla mutatione varietur. Ineſt tamen ipſi mutabilitas: qua tenebreſceret & frigeſceret, niſi amore grandi cohærens tibi, tanquam ſuper meridiem luceret & ferveret ex te.

3. Denique tam caſto amore cohæret tibi Deo vero, & vere æterno, ut quamvis tibi non ſit coæterna, per nullius tamen temporis varietates & viciſſitudines à te reſolvatur, & de-

& defluat, sed in tui solius verissima contemplatione requiescat. Quoniam tu Deus diligenti te quantum præcipis, ostendis te, & sufficit ei. Vnde non declinat à te, nec à se: sed semper in eodem statu manet, te indesinenter videndo, te indeficienter amando, verum lumen, & castum amorem. O beata ista & sublimis creatura creaturarum: maxime beata, in hærendo semper beatitudini tuæ; fœlix, & nimium fœlix, te sempiterno inhabitatore, atque illustratore suo.

4. Nec invenio quid licentius appellandum existimemus cœlum cœli Domino, quam domum tuam, contemplantem delectationem tuam sine defectu, & absque affectu egrediendi in aliquid, mentem puram concordissime unam; stabilimentum pacis beatorum spirituum: In cœlestibus sunt ista cælestia. Vnde intelligat anima, cujus peregrinatio longinqua facta est, si jam sitit tibi; si jam factæ sunt lacrymæ suæ panes sui, si jam petat unam & hanc requirat, ut inhabitet in domo tua per omnes dies vitæ suæ. Et quæ vita ejus, nisi tu? Et qui dies ejus, nisi æternitas tua? Sicut anni tui, qui non deficient. Hic ergo intelligat anima, quæ potest, quam longe super omnia tempora sit æternus, quando domus tua, quæ peregrinata non est, quamvis tibi non sit coæterna, indesinenter tamen & indeficienter cohærendo tibi, nullam temporis patitur varietatem; teque semper perseverantissima castitate hauriens mutabilitate sua, nusquam & nunquam exierit ex te sibi præsente, ad

quem

quem toto affectu se tenet ; non habens futurum quod expectet : nec in præteritum transiens , quod meminerit : per nullas vices variatur, & in nulla tempora extenditur.

CAPVT XX.

Hic orat homo , ut ipsa quoque domus Dei oret pro eo.

1. O Domus Dei luminosa , & speciosa, dilexi decorem tuum , & locum habitationis gloriæ Domini Dei mei , possessoris & fabricatoris tui : Tibi suspiret peregrinatio mea nocte ac die , tibi inhiet cor meum ; tibi intendat mens mea , ad societatem beatitudinis tuæ pervenire desideret anima mea. Dico ei qui fecit te, ut possideat me in te, quia ipse fecit me & te. Imo tu dic, tu roga eum , ut dignum me faciat participatione gloriæ tuæ. Sanctam enim societatem tuam , & mirabilem pulchritudinem tuam non per meritum requiro ; sed per sanguinem ejus quo redemptus sum adipisci non despero. Tantum adjuvent me merita tua, subveniant pravitati meæ sanctæ & purissimæ orationes tuæ , quæ inefficaces apud Deum nullatenus esse possunt.

2. Erravi, fateor , sicut ovis perdita, & incolatus meus prolongatus est : atque procul projectus sum à facie Domini Dei mei , in hanc exilii cæcitatem. Vbi expulsus à paradisi gaudiis , deploro quotidie mecum super miserias captivitatis meæ lugubre carmen , ingentesque lamentationes , cum recordor tui

tui mater Hierusalem; dum stant pedes mei in atriis tuis sancta & decora Sion, necdum interiora tua conspicere in propatulo valens; sed in humeris pastoris mei, structoris tui, spero me reportari tibi; ut tripudiem tecum illo inenarrabili gaudio, quo lætantur illi, qui tecum sunt coram ipso Deo & Salvatore nostro. Qui dissolvit inimicitias in carne sua, & pacificavit omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, sanguine suo.

3. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum. Qui duos ex adverso venientes parietes conjungens, in se beatitudinis tuæ permanentem fœlicitatem, pari modo & eadem mensura se nobis daturum promisit, dicens: Erunt æquales Angelis Dei in cœlis. O Hierusalem domus Dei æterna, post Christi dilectionem, tu esto lætitia & consolatio mea; dulcis memoria tui beati nominis sit relevatio mœroris, tædiorumque meorum.

CAPUT XXI.

Quantis amaritudinibus vita ista sit respersa.

1. TÆdet enim me Domine valde vitæ hujus, & istius ærumnosæ peregrinationis. Vita hæc, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superborum, plena miseriis & erroribus, quæ non est vita dicenda, sed mors; in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus diversis generibus mortium.

2. Nunquid ergo hoc, quod vivimus in hoc mundo, dicere possumus vitam? quam humores

humores tumidant, dolores extenuant & ardores exsiccant, aër morbidat, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt: solicitudo coarctat, securitas hebetat: divitiæ inflant & jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit. Et his malis omnibus, mors furibunda succedit, simulque cunctis gaudiis istius miseræ vitæ, ita finem imponit, ut quum esse desierit, non fuisse putetur. Mors ista vitalis, & vita mortalis, licet his aliisque sit respersa amaritudinibus, proh dolor, quam plurimos suis capit illecebris! & quam multos suis falsis promissionibus decipit!

3. Et cum ita per se sit falsa & amara, ut etiam suos cæcos amatores latere non valeat: tamen infinitam stultorum multitudinem, aureo calice, quem in manu habet, potat, & prorsus inebriat. Fœlices illi, & ipsi rari, qui familiaritatem ejus recusant, perfunctoria gaudia spernunt, societatem abjiciunt: ne cum pereunte deceptrice & ipsi perire cogantur.

CAPVT XXII.

De fœlicitate vitæ, quam præparavit Deus diligentibus se.

1. O Tu vita, quam præparavit Deus iis, qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione,

ruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis pleniſſima: ubi non eſt adverſarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi eſt amor perfectus, & timor nullus, ubi dies æternus, & unus omnium ſpiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens ſine defectu ſatiatur.

2. Libet me tuæ intendere claritati, delectant me bona tua avido corde: Quanto plus valeo mecum conſiderare, tanto plus amore tui langueo: tui vehementi deſiderio, tuique dulci memoria admodum delector. Libet itaque, libet in te oculos cordis attollere, ſtatum mentis erigere, affectum animi conformare. Libet ſane de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre, de tua beatitudine & gloria quotidie legere, & lecta ſæpius corde revolvere: ut vel ſic poſſim ab hujus mortalis perituræque vitæ ardoribus, periclis & ſudoribus, ſub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio tranſire, & tranſiens, in ſinu tuo feſſum caput dormiturus vel paululum reclinare.

3. Hujus rei gratia Scripturarum ſanctarum amœna prata ingredior, viridiſſimas ſententiarum herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando tandem in alta memoriæ ſede repono; ut tali modo tua dulcedine deguſtata, minus iſtius miſerrimæ vitæ amaritudines ſentiam.

4. O tu vita fœliciſſima! ô regnum vere beatum, carens morte, vacans fine! Cui nulla

nulla tempora ſuccedunt per ævum: Vbi continuus ſine nocte dies neſcit habere tempus. Vbi victor miles illis hymnidicis Angelorum ſociatus choris, cantat Deo ſine ceſſatione canticum de canticis Sion, Nobile perpetua caput amplectente corona. Vtinam conceſſa mihi peccatorum venia, moxque hac carnis ſarcina depoſita, in tua gaudia veram requiem habiturus intrarem: & tuæ civitatis præclara atque ſpecioſa mœnia, coronam vitæ de manu Domini accepturus ingrederer: ut illis ſanctiſſimis choris intereſſem, ut cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſterem, ut præſentem Chriſti vultum cernerem, ut illud ſummum & ineffabile, & incircumſcriptum lumen ſemper aſpicerem: ſicque nullo metu mortis affici, ſed de incorruptionis perpetuæ munere lætari poſſem ſine fine.

CAPVT XXIII.

De fœlicitate animæ ſanctæ hinc exeuntis.

1. Fœlix anima, quæ terreno reſoluta, corpore libera, cœlum petit, ſecura & tranquilla, non timet hoſtem, neque mortem. Habet enim ſemper præſentem, cernitque indeſinenter pulcherrimum Dominum, cui ſervivit, quem dilexit, & ad quem tandem læta & glorioſa pervenit. Hanc vero tantæ beatitudinis gloriã nulla dies minuere, nullus improbus poterit auferre. Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicaverunt, & Reginæ & concubinæ laudaverunt eam, dicentes: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto,

deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Quam læta exit, festinat, currit, cum dilectum suum sibi dicentem attonitis auribus audit: surge propera amica mea, speciosa mea & veni: jam hyems transiit, imber abiit, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.

2. Surge, propera amica mea, formosa mea, columba mea, in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ: ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Veni electa mea, speciosa mea, & columba mea, immaculata mea, sponsa mea veni, & ponam in te thronum meum, quia concupivi speciem tuam. Veni, ut læteris in conspectu meo cum Angelis meis, quorum societas tibi à me repromissa est. Veni post multa pericula & labores: intra in gaudium Domini tui, quod nemo tollet à te.

CAPVT XXIV.

Oratio ad Sanctos, ut nobis succurrant in periculis.

1. Fœlices sancti Dei omnes; qui jam transiistis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis, pacis, securi & tranquilli, semperque festivi atque gaudentes estis. Obsecro

ſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis. Securi eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit; de cujus pulchritudine jam ſatiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti eſtis: de cujus beatiſſima viſione ſemper gaudetis. Eſtote jugiter memores noſtri, ſubvenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo hujus vitæ circumſtantibus agitamur procellis.

2. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adjuvate nos vile pavimentum longe inferius jacentes. Date manum, & erigite jacentes ſuper pedes, ut convaleſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello; intercedite: & orate conſtanter atque indeſinenter pro nobis miſeris, multumque negligentibus peccatoribus: ut per veſtras orationes, veſtro ſancto conſortio conjungamur; quia aliter ſalvi eſſe non poſſumus. Sumus namque valde fragiles & nullius virtutis homunciones, animalia ventris & carnis mancipia; in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamen in Chriſto confeſſione poſiti ligno crucis ferimur, navigantes per hoc mare magnum & ſpatioſum. Vbi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus. Vbi ſunt animalia puſilla cum magnis. Vbi eſt draco ſæviſſimus, ſemper paratus ad devorandum. Vbi ſunt loca periculoſa, ſcylla & charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti & in fide dubii.

3. Orate Dominum, orate piissimi, orate omnia agmina Sanctorum, & universi cœtus beatorum, ut vestris precibus meritisque adjuti, salva nave & integris mercibus, pervenire mereamur ad portum perpetuæ salutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis.

CAPVT XXV.

Animæ desiderium ad civitatem supernam Hierusalem.

1. MAter Hierusalem, civitas sancta Dei, charissima sponsa Christi; te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat mens mea. O quam decora, quam glorioſa, quam generosa tu es. Tota pulchra es, & macula non est in te. Exulta & lætare formosa filia Principis, quia concupivit Rex speciem tuam, & amavit decorem tuum, speciosus forma præ filiis hominum. Sed qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima? Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideravi ecce læta sedeo, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.

2. In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi, & inveni: Teneo, nec dimittam illum donec introducat me in domum suam, & in cubiculum suum, glorioſa genitrix mea. Ibi enim dabis mihi

mihi ubera tua abundantius, & perfectius, & satiabis me satietate mire mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in æternum. Fœlix anima mea semperque fœlix in sæcula: si intueri meruero gloriam tuam, beatitudinem tuam, pulchritudinem tuam, portas, & muros, & plateas tuas, & mansiones tuas multas, nobilissimos cives tuos, & fortissimum Regem tuum in decore suo. Muri namque tui ex lapidibus preciosis, portæ tuæ ex margaritis optimis, plateæ tuæ ex auro purissimo; in quibus jucundum Alleluja sine intermissione concinitur; mansiones tuæ multæ quadris lapidibus fundatæ, saphiris constructæ, laterculis coopertæ aureis: in quas nullus ingreditur, nisi mundus: nullus habitat inquinatus.

3. Speciosa facta es & suavis in deliciis tuis, mater Hierusalem. Nihil in te tale, quale hic patimur: qualia in hac misera vita cernimus. Non sunt in te tenebræ, aut nox, aut quælibet diversitas temporum. Non lucet in te lux lucernæ; aut splendor Lunæ, vel jubar stellarum; sed Deus de Deo, lux de luce. Sol justitiæ semper illuminat te. Agnus candidus & immaculatus, lucidum & pulcherrimum est lumen tuum. Sol tuus & claritas tua & omne bonum tuum, hujus pulcherrimi Regis indeficiens contemplatio. Ipse Rex regum in medio tui, & pueri ejus in circuitu ejus.

4. Ibi hymnidici Angelorum chori. Ibi societas supernorum civium. Ibi dulcis solemnitas omnium, ab hac tristi peregrinatione

ad tua gaudia redeuntium. Ibi prophetarum providus chorus. ibi duodenus Apoſtolorum numerus. Ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus. Ibi ſanctorum Confeſſorum ſacer conventus. Ibi veri & perfecti Monachi. Ibi ſanctæ mulieres, quæ voluptates ſæculi & ſexus infirmitatem vicerunt. Ibi pueri & puellæ, qui annos ſuos ſanctis moribus tranſcenderunt. Ibi ſunt oves & agni, qui jam hujus voluptatis laqueos evaſerunt: exultant omnes in propriis manſionibus. Diſpar eſt gloria ſingulorum, ſed communis eſt lætitia omnium.

5. Plena & perfecta ibi regnat charitas, quia Deus eſt ibi omnia in omnibus, quem ſine fine vident, & ſemper videndo in ejus amore ardent, amant & laudant, laudant & amant. Omne opus eorum laus Dei, ſine fine, ſine defectione, ſine labore. Fœlix ego & vere in perpetuum fœlix, ſi poſt reſolutionem hujus corpuſculi, audire meruero illa cantica cœleſtis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis ſupernæ patriæ civibus, beatorumque ſpirituum agminibus. Fortunatus ego, nimiumque beatus, ſi & ego ipſe meruero cantare ea, & aſſiſtere regi meo, Deo meo, & duci meo: & cernere eum in gloria ſua, ſicut ipſe polliceri dignatus eſt, dicens: Pater, volo ut quos dediſti mihi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam habui apud te ante conſtitutionem mundi. Et alibi: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur; & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Et iterum:

Qui

Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.

CAPVT XXVI.

Hymnus de gloria Paradisi Petri Damiani Cardinalis Ostiensis, ex dictis B. Aug.

1. AD perennis vitæ fontem mens sitivit arida.
Claustra carnis præsto frangi clausa quærit anima.
Gliscit, ambit, eluctatur exul frui patria,
Dum pressuris ac ærumnis se gemit obnoxiam.
Quam amisit, cum deliquit, contemplatur gloriam.
Præsens malum auget boni perditi memoriam.
2. Nam quis promat summæ pacis quanta sit lætitia?
Vbi vivis margaritis surgunt ædificia:
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia.
Solis gemmis precioſis hæc structura nectitur.
Auro mundo tanquam vitro urbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur.
Hyems horrens, æstas torrens, illic nunquam sæviunt.
Flos perpetuus rosarum, ver agit perpetuum.
3. Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum.

Virent prata, vernant ſata, rivi mellis influunt.
Pigmentorum ſpirat odor, liquor & aromatum.
Pendent poma floridorum non lapſura nemorum.
Non alternat Luna vices, Sol vel curſus ſiderum.
Agnus eſt fœlicis urbis lumen inocciduum.
Nox & tempus deſunt ei, diem fert continuum.
Nam & ſancti quique velut Sol præclarus rutilant.
4. Poſt triumphum coronati mutuo conjubilant.
Et proſtrati pugnas hoſtis jam ſecuri numerant:
Omni labe defœcati, carnis bella neſciunt.
Caro facta ſpiritalis, & mens, unum ſentiunt.
Pace multa perfruentes, ſcandalo non perferunt.
Mutabilibus exuti repetunt originem.
Et præſentem veritatis contemplantur ſpeciem.
5. Hinc vitalem vivi fontis hauriunt dulcedinem.
Inde ſtatum ſemper iidem exeuntes capiunt.
Clari, vividi, jucundi, nullis patent caſibus.
Abſunt morbi ſemper ſanis, ſenectus juvenibus.

Hinc

Hinc perenne tenent esse ; nam transire transiit.
Inde virent , vigent , florent , corruptela corruit.
Immortalitatis vigor , mortis jus absorbuit.
Qui scientem cuncta sciunt , qui nescire nequeunt.
Nam & pectoris arcana penetrant alterutrum.
6. Vnum volunt , unum nolunt , unitas est mentium :
Licet cuique sit diversum pro labore meritum.
Charitas hæc suum facit , quod dum amat alterum.
Proprium sic singulorum commune fit omnium.
Vbi corpus , illic jure congregantur Aquilæ.
Quo cum Angelis & sanctæ recreentur animæ.
Vno pane vivunt cives utriusque patriæ.
Avidi , & semper pleni , quod habent desiderant.
Non satietas fastidit, neque fames cruciat.
Inhiantes semper edunt , & edentes inhiant.
7. Novas semper harmonias vox meloda concrepat.
Et in jubilum prolata mulcent aures organa.
Digna per quem sunt victores Regi dant præconia.

Fœlix cæli quæ præsentem Regem cernit anima,
Et sub sede spectat alta orbis volvi machinam:
Solem, Lunam, & globosa cum planetis sydera.
Christe, palma bellatorum, hoc in municipium
Introduc me post solutum militare cingulum;
Fac consortem donativi beatorum civium.
Proba vires inexhausto laboranti prælio:
Vt quietem post præcinctum debeas emerito,
Teque merear potiri sine fine præmio, Amen.

CAPVT XXVII.

Laus continua, quam facit anima, ex contemplatione supernæ divinitatis.

1. BEnedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus: benedic anima mea Domino. Laudemus Deum, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: cui Cherubim & Seraphim incessabili voce proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Iungamus voces nostras vocibus Angelorum sanctorum, & communem Dominum laudemus pro modulo nostro.

2. Illi

2. Illi enim laudant Dominum puriſſime & inceſſanter: qui ſemper inhærent contemplationi divinæ, non per ſpeculum & in ænigmate, ſed facie ad faciem. Sed quis dicere vel cogitare ſufficiat, qualis ſit in conſpectu Domini Dei omnipotentis illa beatorum ſpirituum cæleſtiumque virtutum innumerabilis multitudo? Quæ ſit in eis ſine fine feſtivitas viſionis Dei? Quæ lætitia ſine defectu? Quis amoris ardor non crucians, ſed delectans? Quod ſit in eis deſiderium viſionis Dei cum ſatietate, & ſatietas cum deſiderio: in quibus nec deſiderium pœnam generat, nec ſatietas faſtidium parit? Quomodo inhærendo ſummæ beatitudini ſint beati? Quomodo conjuncti vero lumini, facti lux ſunt? Quomodo ſemper aſpicientes incommutabilem Trinitatem, mutati ſunt in incommutabilitatem?

3. Sed quando illam Angelicæ dignitatis celſitudinem comprehendere poterimus, quando nec ipſius animæ noſtræ naturam inveſtigare valemus? Qualis eſt iſta, quæ carnem vivificare poteſt, ſe autem in ſanctis cogitationibus, ut volet, conſtringere non poteſt? Qualis eſt iſta, tam fortis, tam infirma, tam parva, tam magna, quæ rimatur ſecreta Dei, & cœleſtia contemplatur: atque humanis commodis multarum artium peritiam perſpicaci ingenio adinveniſſe probatur? qualis ergo eſt iſta, quæ tam multa de cæteris novit, & ſe, qualiter facta ſit, prorſus ignorat? Licet enim nonnulla ambigua, à quibuſdam ſuper ejus origine proferantur,

ferantur, invenimus tamen eam esse quendam intellectualem spiritum, per creatoris potentiam factum, immortaliter juxta modum suum viventem; mortale corpus, quod sustinet, vivificantem, mutabilitati subjectum, oblivioni deditum: quem timor sæpe afficit, lætitia extollit. O res mira, omnique stupore dignissima! De Deo quidem creatore omnium, qui est incomprehensibilis & ineffabilis, excelsa & mirabilis nimis, omni remota ambiguitate legimus, loquimur, & scribimus. De Angelis autem & animalibus quidquid dicimus, non tam evidenter approbare possumus. Sed transeat ab his animus, & transcendat omne quod creatum est; currat, & ascendat, & volitet, & pertranseat; & in eum, qui creavit omnia, quantum potest oculos fidei dirigat. Faciam ergo gradus ascensionis in corde meo, & per ipsos ascendam ad animam meam, & per ipsam & mentem meam ascendam ad Dominum meum, qui capiti meo desuper manet.

5. Quidquid visibiliter cernitur, quidquid spiritualiter imaginatur forti manu, ab intuitu cordis & mentis procul removeatur. Solus intellectus purus & simplex incedens, rapido volatu ad ipsum perveniat conditorem Angelorum, & animarum, & omnium rerum. Mens illa beata, quæ ima deserit, summa petit: quæ ponit in arduis sedem habitationis suæ, & de summis rupibus contemplatur Solem justitiæ, Aquilinis obtutibus. Nihil enim tam pulchrum atque jucun-

jucundum, quam Iesum solum mentis intuitu, & cordis aviditate, contemplari Deum, & miro modo invisibiliter cernere invisibilem; sicque aliam, non istam gustare dulcedinem; & inspicere aliam, non istam lucem. Lux enim ista, quæ loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur: & quam communem cum vermibus & pecoribus habemus, in comparatione illius summæ lucis non est lux dicenda, sed nox.

CAPVT XXVIII.

Quid sit quodammodo Deum cernere & tenere, & qualiter sit de Deo sentiendum.

1. QVanquam autem illa summa & incommutabilis essentia, lux vera, lux indeficiens, lux angelorum, à nemine conspici valeat in hac vita, quod solum præmium Sanctis reservatur in cœlesti gloria: illud tamen credere, & intelligere, & sentire, & ardenter inhiare, quodammodo illum cernere est atque tenere. Sonet itaque vox super Angelos, & homo intenta mente contempletur Deum, verbis, quibus potest, suas illi dicat laudes. Iustum namque est, ut creatura suum laudet creatorem. Ipse enim ad laudandum se nos creavit, qui nostris non indiget laudibus.

2. Est autem virtus incomprehensibilis, nullius indigens, ipse sibi sufficiens: Magnus Dominus Deus noster & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Magnus Dominus Deus noster, & laudabilis

laudabilis valde. Hunc itaque mens diligat, lingua canat, manus scribat; atque in his sanctis studiis, fidelis animus se totum exerceat. Hujus videlicet cælestis rhetorici suavissimis dapibus, vir desideriorum & cœlestium contemplator assidue reficiatur; ut hoc cœlesti pabulo saginatus, clamet clamore magno, clamet totis medullis cordis, clamet in jubilo, & ardentissimo mentis desiderio dicat.

CAPVT XXIX.

Oratio explicans plurimas Dei proprietates.

1. O Summe, optime, omnipotentissime, misericordissime, justissime, secretissime, præsentissime, pulcherrime & fortissime, stabilis & incomprehensibilis: invisibilis, omnia videns, immutabilis, omnia mutans; immortalis, inlocalis, interminus, incircumscriptus, nusquam finitus; inæstimabilis, ineffabilis, inscrutabilis, immotus, omnia movens, non investigabilis, indicibilis, metuendus atque terribilis, honorandus atque timendus, venerandus atque reverendus; nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt.

2. Semper agens, semper quietus, colligens, & non egens; omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione; omnia creans, protegens, nutriens, & proficiens; quærens, cum nihil desit tibi; amans nec æstuans, zelans & securus es. Pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera

opera mutas, sed non consilium; recipis, quod non invenis & numquam amisisti; nunquam inops, & gaudes lucris; nunquam avarus, & usuras exigis; supererogatur tibi ut debeas.

3. Et quis habet quicquam non tuum? Reddis debita, nulli debens: donas debita, nihil perdens. Qui solus vivificas omnia; qui creasti omnia, qui ubique es & ubique totus, qui sentiri potes, videri non potes: qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longe es. Qui nec ibi dees, ubi longe es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam. Qui omnia tangis, nec tamen omnia tangis æqualiter. Quædam enim tangis ut sint, non tamen ut vivant, sentiant, & discernant. Quædam vero tangis ut sint & vivant, non tamen ut sentiant & discernant. Quædam vero tangis ut sint, vivant & sentiant, non tamen ut discernant. Quædam vero tangis ut sint, vivant, sentiant, & discernant. Et cum tibimetipsi nunquam dissimilis sis, dissimiliter tamen tangis dissimilia: qui ubique semper præsens es, & inveniri vix potes.

4. Quem stantem insequimur, & apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia. Neque ex alia parte sustines, atque ex alia parte superaris: neque ex alia parte imples, & ex alia circumplecteris: sed circumplectendo imples, & implendo circumplecteris, sustinendo superexcedis, & superexcedendo sustines.

sustines. Qui doces corda fidelium sine strepitu verborum. Qui attingis à fine usque ad finem fortiter, & disponis omnia suaviter. Qui locis non distenderis, nec temporalibus variaris. Neque habes accessus & recessus, sed habitas lucem inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest. In te manens quietus, ubique circumis totum, ubique prorsus totus. Non enim scindi vel dividi poteris; quia vere unus es: nec in partes efficeris; quia totus totum tenes, totum imples, totum illustras & possides.

5. Hujus videlicet mysterii immensam profunditatem, mens humana concipere non potest, nec oratoria lingua enarrare, neque diffusi sermones, nec bibliothecarum volumina queunt explicare. Si totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis explicari non potest: quoniam vere indicibilis es, nullo modo scribi potes, neque concludi, qui es fons lucis divinæ & Sol claritatis æternæ. Magnus enim es sine quantitate, & ideo immensus: bonus es sine qualitate, & ideo vere & summe bonus: & nemo bonus, nisi tu solus, cujus voluntas est opus, cujus velle posse est.

6. Qui omnia de nihilo creasti, quæ sola voluntate tua fecisti. Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas; & absque tædio regis, & nihil est quod perturbet ordinem imperii tui, vel in summis, vel in imis. Qui in omnibus locis sine loco haberis: & omnia contines sine ambitu; & ubique es præsens

præsens sine situ & motu. Qui nec mali auctor es: quodque facere non potes, qui nihil non potes: neque unquam te aliquid feciſſe pœnituit: nec ullius commotionis animi tui tempeſtate turbaris, nec totius terræ pericula damnum tuum eſt. Nulla flagitia vel ſcelera probas aut imperas.

7. Nunquam mentiris, quia æterna veritas es. Cujus unius bonitate facti ſumus, & juſtitia pœnas luimus, & clementia liberamur. Nam nihil cæleſte, nihil igneum, nihil terrenum, nihilque quod corporis ſenſus attingat, pro te colendum eſt: qui vere es, quod es, & non mutaris. Cui maxime convenit illud quod Græci dicunt, ὤν, Latini Ens: quod ſemper idem ipſe es, & anni tui non deficient. Hæc & alia multa docuit me ſancta mater Eccleſia, cujus factus ſum membrum per gratiam tuam. Docuit me ſane, te ſolum, & unum, & verum Deum, non eſſe corporeum & paſſibilem. Nihilque de ſubſtantia tua vel natura, ullo modo eſſe violabile, aut commutabile, aut compoſitum vel factum. Et ideo certum eſt, corporeis oculis te non poſſe ſentiri: ſed nec ab ullo mortalium in propria eſſentia aliquando potuiſſe videri. Hinc etenim patenter datur intelligi, quod unde Angeli te intuentur, inde & nos poſt hanc vitam te videbimus. Sed nec ipſi profecto te videre poſſunt ſicuti es: nulli denique alii tota, niſi tibi ſoli nota eſt omnipotens Trinitas.

CAPVT XXX.

De pluralitate personarum & unitate in Deo.

1. TV vero unitas es divinitatis, personarum pluralitate multiplex, numerabiliter es innumerabilis: ac idcirco mensurabiliter immensurabilis, & ponderabiliter imponderabilis. Non enim summæ bonitatis, quæ tu ipse es, profitemur originem: ex qua omnia, per quam omnia, in qua omnia: sed ejus participatione dicimus omnia bona. Nam tua divina essentia semper caruit ac caret materia: licet non careat forma, forma scilicet informata, forma formarum, forma formosissima, quam dum imprimis quasi sigillum rebus singulis, eas sine tui augmenti aut tui detrimenti mutabilitate, procul dubio à te facis differri. Quidquid tamen in natura creatum est, creatura tua est.

2. O una Trinitas, & trina unitas Deus, cujus omnipotentia omnia possidet, & regit, & implet quæ creavit. Nec ideo te implere omnia dicimus ut te contineant, sed ut ipsa potius à te contineantur; nec particulatim imples omnia: nec ullatenus ita putandum est, ut unaquæque creatura pro magnitudine portionis suæ capiat te, id est, maxima majus, & minima minus, dum sis potius ipse in omnibus sive in te omnia. Cujus omnipotentia concludit universa; nec evadendi potentiam tuam quis aditum invenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam evadet iratum. Sicut scriptum est: Ne-

que

que ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus; quoniam Deus judex est. Et alibi: Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?

3. Immensitas divinæ magnitudinis tuæ ista est; ut intelligamus te intra omnia, sed non inclusum: extra omnia, sed non exclusum. Et ideo interior es, ut omnia contineas: & ideo exterior es, ut incircumscriptæ magnitudinis tuæ immensitate omnia concludas. Per id ergo quod interior es, ostenderis esse creator: per id vero quod exterior es, gubernator omnium demonstraris. Ac ne omnia quæ creata sunt sine te essent, interior es; exterior vero, ut omnia includantur à te, non locali magnitudine, sed potentiali præsentia; qui ubique præsens es, & omnia tibi præsentia, quamvis quidam hæc intelligant, quidam vero non intelligant.

4. Inseparabilis ergo naturæ tuæ unitas, separabiles non potest habere personas: quia sicut es Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate, sic separationem non potes habere personarum. Nominantur quidem illæ personæ aliquando singulæ, sed ita te voluisti Deus Trinitas inseparabilem ostendere in personis, ut nullum tibi nomen sit in qualibet persona, quod non ad aliam secundum relationis regulam referatur. Sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, sic Spiritus sanctus ad Patrem & Filium verissime refertur. Ea vero nomina, quæ substantiam, vel personam, vel potentiam, vel essentiam tuam significant, vel quidquid proprie

dicitur Deus, omnibus personis æqualiter conveniunt: ut Deus magnus, omnipotens, æternus, & omnia quæ naturaliter de te Deo dicuntur. Non est ergo aliquod naturæ nomen, quod sic tibi Deo Patri convenire valeat; ut, aut Filio, aut Spiritui sancto convenire nequeat. Dicimus te Patrem naturaliter esse Deum, sed naturaliter est & Filius Deus, naturaliter est & Spiritus sanctus Deus: non tamen tres Dii, sed unus naturaliter Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

5. Idcirco inseparabilis es, sancta Trinitas Deus, in personis sensu intelligenda: quamvis voce separabilia habeas nomina: quia pluralem numerum in naturæ nominibus nullatenus recipis. In hoc enim ostenditur, personas non posse dividi in sancta Trinitate, quæ unus Deus verus est: quia cujuslibet personæ nomen semper ad alteram respicit personam. Si Patrem dico, Filium ostendo: si Filium nomino, Patrem prædico: si Spiritum sanctum appello, alicujus esse Spiritum necesse est intelligi, scilicet Patris & Filii. Hæc est enim fides vera, veniens de sana doctrina: Hæc certe est fides Catholica & orthodoxa, quam me docuit Deus in sinu matris Ecclesiæ, gratia sua.

CAPVT XXXI.

Oratio ad sanctam Trinitatem.

1. INvocat itaque, Domine, te fides mea quam dedisti mihi propter bonitatem tuam

tuam ad ſalvationem mei. Fidelis autem anima ex fide vivit: tenet in ſpe, quod videbit in re. Invocat te Deus meus caſta conſcientia mea, & ſuavis amor fidei meæ, quam, excuſſis ignorantiæ tenebris, ad veritatis intelligentiam perduxiſti: & quam à ſtulta ſæculi amaritudine eruiſti, atque adhibita tuæ dulcedinis charitate, jucundam mihi & mellifluam reddidiſti. Invocat te, beata Trinitas, vox clara & ſincerus amor fidei meæ; quam ab ipſis enutriens cunabulis, illuminaſti ſemper per illuſtrationem gratiæ tuæ; & quam adaugens confirmaſti in me, per documenta matris Eccleſiæ. Te invoco, beata & benedicta & glorioſa una Trinitas: Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: Deus Dominus, paracletus, charitas, gratia, communicatio.

2. Genitor, genitus, regenerans, verum lumen ex lumine vero, vera illuminatio. Fons, fiumen, irrigatio. Ab uno omnia, per unum omnia, in uno omnia. A quo, per quem, in quo omnia. Vivens vita, vita à vivente, viventium vivificator. Vnus à ſe, unus ab uno, unus ab ambobus. ὢν à ſe, ὢν ab altero, ὢν ab utroque. Veritas Pater, veritas Filius, veritas Spiritus ſanctus. Vna ergo (Pater, logos, paracletuſque) eſſentia, una virtus, una bonitas, una beatitudo: à quo, per quem, & in quo beata ſunt omnia, quæcunque beata ſunt.

CAPVT XXXII.

Quod Deus vera & ſumma vita eſt.

1. DEus, vera & ſumma vita, à quo, per quem, & in quo vivunt omnia quæcunque vere & beate vivunt. Deus bonum & pulchrum; à quo, per quem, & in quo bona & pulchra ſunt omnia, quæcunque bona & pulchra ſunt. Deus, cujus nos fides excitat, ſpes erigit, charitas jungit. Deus, qui peti te jubes, & inveniri te facis, & pulſanti aperis. Deus, à quo averti, cadere eſt: ad quem converti, ſurgere eſt: in quo manere, conſiſtere eſt. Deus, quem nemo amittit, niſi deceptus; nemo quærit, niſi admonitus; nemo invenit, niſi purgatus. Deus, quem noſſe, vivere eſt; cui ſervire, regnare eſt; quem laudare, ſalus & gaudium animæ eſt. Te labiis & corde, omnique qua valeo, virtute laudo, benedico atque adoro, tuæque clementiæ & bonitati, pro univerſis beneficiis tuis, gratias refero, & hymnum gloriæ tuæ cano: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

2. Te invoco, ô beata Trinitas, ut venias in me, & templum me facias dignum gloriæ tuæ. Rogo patrem per Filium: rogo Filium per Patrem: rogo Spiritum ſanctum per Patrem & Filium ut omnia vitia elongentur à me, & omnes ſanctæ virtutes plantentur in me. Deus immenſe, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta ſunt, viſibilia & inviſibilia: qui opera tua extra circundas, & intra reples: ſupra regis, & infra fers: cuſtodi me opus manuum tuarum in te ſperantem,

rantem, & in tua ſolummodo miſericordia confidentem. Cuſtodi me, quæſo, hic & ubique, nunc & ſemper, intus & foris, ante & retro, ſupra & infra, circumcirca; ita ut in me nullus pateat locus inſidiis inimicorum.

3. Tu es Deus omnipotens, cuſtos & protector omnium in te ſperantium: ſine quo nemo eſt tutus, nemo de periculis liberatus. Tu es Deus, & non eſt alius Deus præter te, neque in cælo ſurſum, neque in terra deorſum: qui facis magnalia, & mirabilia, & inſcrutabilia, quorum non eſt numerus. Te decet laus, te decet honor, te decet hymnus. Tibi omnes Angeli, tibi cœli & univerſæ poteſtates hymnos dicunt, & laudes indeſinenter concinunt: utpote Creatori creaturæ; Domino ſervi, Regi milites: Te ſanctam & individuam Trinitatem omnis creatura magnificat, omnis ſpiritus laudat.

CAPVT XXXIII.

Laus Angelorum & hominum.

1. TIbi ſancti & humiles corde, tibi ſpiritus & animæ juſtorum, tibi omnes ſuperni cives, & cuncti beatorum ſpirituum ordines, gloriam & honorem ſuppliciter adorantes concinunt ſine fine. Laudant te, Domine, illi ſuperni cives magnifice & honorabiliter. Laudat te homo, magna portio creaturæ tuæ. Sed & ego peccator homuncio, deſiderio magno cupio te laudare, amare te opto amore præcipuo. Deus meus, vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea, dignare

me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore; ut cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die cantet laudes tuas.

2. Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris, & quia vir pollutis labiis ego sum: munda, obsecro, cor meum ab omni inquinamento: sanctifica me, sanctificator omnipotens, interius & exterius: & fac me dignum laudibus tuis. Suscipe benigne & acceptabiliter de manu cordis, & de mentis amore, suscipe sacrificium labiorum meorum, fiatque acceptabile in conspectu tuo, & ascendat ad te in odorem suavitatis. Memoria tua sancta, & dulcedo tua beatissima, possideat totam animam meam, atque in invisibilium amorem rapiat eam. Transeat de visibilibus ad invisibilia, de terrenis ad cœlestia, de temporalibus ad æterna: transeat & videat visionem mirabilem.

3. O æterna Veritas & vera charitas, & chara Æternitas, tu es Deus meus, ad te suspiro nocte ac die; tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire desidero. Qui novit te, novit veritatem, novit æternitatem. Tu veritas super omnia præsides, quem videbimus sicuti es, cum pertransierit hæc vita cæca & mortalis; in qua dicitur nobis, ubi est Deus tuus? Et ego dico: Deus meus ubi es? Respiro in te paululum, cum effundo super te animam meam in voce exultationis, & confessionis soni epulantis, & festivitatem celebrantis, & adhuc tristis est, quia relabitur, & fit abyssus: vel quin potius,

sentit

sentit se adhuc esse abyssum. Dicit ei fides mea, quam accendisti in nocte ante pedes meos.

4. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo: lucerna pedibus meis verbum ejus. Spera & persevera, donec pertranseat nox, mater iniquorum; donec pertranseat ira Dei, (cujus fuimus aliquando filii, fuimus enim aliquando tenebræ) donec pertranseat iste impetus aquarum: residua adhuc trahimus in corpore propter peccatum mortuo, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Spera in Domino, mane astabo, & contemplabor, semperque confitebor ei. Mane astabo, & videbo salutare vultus mei Deum meum, qui vivificabit mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum ejus in nobis, ut jam simus lux, dum adhuc spe salvi facti sumus, & filii lucis & filii diei, non noctis neque tenebrarum. Fuimus enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in te Deus noster, & tamen adhuc per fidem, necdum per speciem. Spes enim quæ videtur, non est spes.

5. Laudant te Domine illi populi Angelorum tuorum immortales, & glorificant nomen tuum cœlestes virtutes; quæ non habent opus legere hanc scripturam nostram, & cognoscere te sanctam & individuam Trinitatem. Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua: legunt, eligunt & diligunt, semperque legunt, & nunquam

præterit id quod legunt. Eligendo & diligendo legunt ipsam immutabilitatem consilii tui, & non claudetur codex eorum, nec plicabitur liber eorum, quoniam tu ipse illis hoc es, & eris in æternum. O beatæ nimium illæ cœlorum virtutes, quæ laudare possunt te sancte & purissime, cum nimia dulcedine & ineffabili exultatione. Inde laudant unde gaudent, quia semper vident unde gaudere valeant & laudare.

6. Nos vero mole carnis pressi, & procul à vultu tuo in hac peregrinatione positi, atque per mundanas varietates distenti, te digne laudare nequimus: laudamus tamen per fidem, non per speciem: illi vero Angelici spiritus per speciem non per fidem. Hoc enim caro facit, ut multo aliter laudemus quam illi. Sed licet diversis modis laudes dicamus, tu unus es Deus creator omnium, cui sacrificium laudis in cœlo & in terra offertur, perventuri tamen sumus misericordia tua ad eorum consortium, cum quibus te semper videbimus, & sine fine laudabimus. Tribue Domine, ut donec in hoc fragili corpore positus sum, laudet te cor meum, laudet te lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tui?

7. Tu es Deus omnipotens, quem trinum in personis, & unum in substantia Deitatis, colimus & adoramus, Patrem ingenitum, Filium de Patre unigenitum, Spiritum sanctum de utroque procedentem, & in utroque permanentem, sanctam & individuam Trinitatem, unum Deum omnipotentem.

Qui

Qui cum non essemus, potenter fecisti nos & cum perditi fuissemus culpa nostra, pietate & bonitate tua mirabiliter recuperasti nos: Ne sinas nos esse ingratos, obsecro, tantis beneficiis, & indignos tam multis miserationibus: te deprecor, supplico & rogo, auge fidem, auge spem, auge charitatem.

8. Fac nos per ipsam gratiam tuam semper in fide stabiles, & in opere efficaces: ut per fidem rectam & condigna fidei opera, ad vitam te miserante perveniamus æternam: ut ibi videntes gloriam tuam sicuti est, adoremus Majestatem tuam, & dicamus pariter, quos dignos feceris videre gloriam tuam: Gloria Patri, qui creavit nos: Gloria Filio, qui redemit nos: Gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos: Gloria summæ & individuæ Trinitati, cujus opera inseparabilia sunt, cujus imperium sine fine manet. Te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio & claritas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus & fortitudo, Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.

CAPVT XXXIV.

Hic conqueritur homo, quod non compungitur in contemplatione, ex quo Angeli quoque tremunt Deum videntes.

1. IGnosce Domine, ignosce pie, ignosce & miserere; parce & ignorantiæ meæ, & multæ imperfectioni meæ. Noli me tanquam temerarium reprobare, quod audeam servus, utinam vel bonus, & non etiam inutilis & malus: & ideo valde malus, quia te omni-

omnipotentem Deum noſtrum terribilem & nimis metuendum, ſine cordis contritione & lachrymarum fonte, ſine reverentia debita & tremore, laudo, benedico, atque adoro. Si enim Angeli te adorantes & laudantes tremunt, mira exultatione repleti: ego peccator, dum tibi aſſiſto, laudes dico, ſacrificium offero; cur non corde paveo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorreſco; ſicque obortis lachrymis, coram te indeſinenter lugeo? Volo, ſed non valeo, quia nequeo quod deſidero. Hinc enim mecum vehementer admiror, dum te nimis terribilem oculis fidei cerno: Sed quis hoc, ſine ope gratiæ tuæ? Vniverſa enim ſalus noſtra, magna miſericordia tua.

2. Miſerum me, quomodo ſic inſenſata facta eſt anima mea: ut non terreatur terrore nimio, dum ſtat ante Deum, & ſuas illi laudes decantat? Miſerum me, quomodo ſic induruit cor meum; ut oculi mei indeſinenter non producant flumina lachrymarum, dum conſervus ſermocinatur coram Domino ſuo, homo cum Deo, creatura cum creatore, qui factus eſt ex limo, cum eo qui omnia fecit ex nihilo? Ecce Domine, pone me ante te, & quid in ſecretis de me ſentio, fraternis auribus non taceo. Tu dives in miſericordia, & largus in præmiis, da mihi de bonis tuis, ut ex eis ſerviam tibi. Non enim aliunde poſſumus ſervire, neque tibi placere, niſi de tuo munere.

3. Confige, quæſo, timore tuo carnes, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Vti-

Vtinam sic te timeret peccatrix anima mea, quomodo ille vir sanctus, qui dixit: Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Dator enim bonorum Deus, da mihi inter laudes tuas fontem lachrymarum, simul cum cordis puritate, & mentis jubilatione, ut perfecte te diligens & digne te laudans, ipso cordis palato sentiam, gustem & sapiam, quam dulcis & suavis es, Domine, sicut scriptum est: Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo: beatus populus, qui scit jubilationem: beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

CAPVT XXXV.

Oratio multum movens ad devotionem & divinum amorem.

1. IEsu nostra redemptio, amor & desiderium, Deus de Deo; adesto mihi famulo tuo. Te invoco, ad te clamo clamore magno, in toto corde meo. Te invoco in animam meam: intra in eam, & coapta eam tibi, ut possideas eam sine ruga, & sine macula. Mundissimo namque Domino, munda debetur habitatio. Sanctifica ergo me vas tuum, quod fecisti; de malitia evacua, imple de gratia, & plenum conserva; ita ut dignum habitationis tuæ efficiar templum hic & in

& in perpetuum. Dulciſſime, benigniſſime, amantiſſime, chariſſime, potentiſſime, deſideratiſſime, precioſiſſime, amabiliſſime, pulcherrime; tu melle dulcior, lacte & nive candidior, nectare ſuavior, gemmis & auro precioſior, cunctiſque terrarum divitiis & honoribus mihi charior.

2. Quid dico, Deus meus, una ſpes mea, tam grandis miſericordia tua? Quid dico dulcedo fœlix & ſecura? Quid dico, dum talia dico? Dico, quod valeo, ſed non dico, quod debeo. Vtinam poſſem talia dicere, qualia illi hymnidici Angelorum chori. O quam libenter me in tuis laudibus totum effunderem! O quam devotiſſime illa cœleſtis melodiæ cantica ad laudem & gloriam nominis tui in medio Eccleſiæ infatigabilis perorarem! Sed quia talia non poſſum, nunquid tacebo? Væ tacentibus de te, qui ora mutorum reſolvis, & linguas infantium facis diſertas. Væ tacentibus de te, quoniam ipſi loquaces muti ſunt, cum non tuas laudes dicunt.

3. Quis digne te laudare poteſt, ô ineffabilis virtus, & ſapientia Patris! Et quoniam nulla invenio verba, quibus te ſufficienter valeam explicare cunctipotens & omniſcium Verbum, dicam interim, quod valeo, donec jubeas me venire ad te, ubi poſſum dicere quod te decet, & me oportet. Et ideo ſuppliciter rogo, ut non reſpicias tantum ad id quod modo dico, ſed ad id quod dicere opto. Cupio enim deſiderio magno de te eloqui, quod oportet & decet: quia te decet laus,

te

te decet hymnus, tibique debetur omnis honor. Scis ergo occultorum cognitor Deus, quoniam cœlo, terra, & omnibus quæ in ea sunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior es. Diligo enim te super cælum & terram, & cætera omnia quæ in eis sunt; immo amore nominis tui, quæ transitoria sunt, procul dubio amanda non sunt. Amo te Deus meus amore magno, magisque te amare cupio.

4. Da mihi ut amem te semper, quantum volo, & quantum debeo, ut tu solus sis tota intentio mea, & omnis meditatio mea. Te mediter per dies sine cessatione, te sentiam per soporem, in nocte te alloquatur spiritus meus, tecum fabuletur mens mea. Lumine sanctæ visionis tuæ illustretur cor meum, ut te rectore, te duce ambulem de virtute in virtutem, tandemque videam te Deum deorum in Sion, nunc quidem per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, ubi cognoscam te sicut & cognitus sum. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. Rogo itaque te, Domine, per omnes miserationes tuas, quibus de morte æterna liberati sumus, mollifica cor meum durum & lapideum, saxeum & ferreum, tua sacratissima & potenti unctione, & fac me per ignem compunctionis coram te omni hora hostiam vivam fieri.

5. Fac me in tuo conspectu cor contritum & humiliatum semper habere, cum lachrymarum abundantia. Fac me ex toto desiderio

rio huic mundo funditus extingui, & transeuntium rerum obliviſci, præ magnitudine timoris & amoris tui, uſque adeo, ut de temporalibus nec lugeam, nec gaudeam, nec metuam aliquid temporale, nec diligam, nec blandis corrumpar, nec adverſis concutiar. Et quia tui valida eſt ut mors dilectio, abſorbeat (quæſo) mentem meam ab omnibus quæ ſub cœlo ſunt, ignita & melliflua vis amoris tui; ut tibi ſoli inhæream ſolaque tuæ ſuavitatis memoria paſcar.

6. Deſcendat, Domine, deſcendat (precor) deſcendat in cor meum odor tui ſuaviſſimus, ingrediatur amor tui mellifluus. Veniat mihi tui ſaporis mira & inenarrabilis fragrantia, quæ ſempiternas in me ſuſcitet concupiſcentias; & ex corde meo producat venas ſalientis aquæ in vitam æternam. Immenſus es, Domine, & ideo ſine menſura debes amari & laudari ab iis, quos tuo precioſo ſanguine redemiſti. Amator hominum benigniſſime, clementiſſime Domine, & æquiſſime judex, cui omne judicium dedit Pater, ſapientiſſimo tuæ æquitatis judicio diſcernis hoc rectum & juſtum eſſe, ut filii hujus ſæculi noctis & tenebrarum, præſtantiori deſiderio, virtute atque ſtudio, diligant & quærant perituras divitias, & fugitivos honores: quam nos ſervi tui diligamus te Deum noſtrum, per quem facti & redempti ſumus.

7. Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abeſſe, ſi ſponſa ſponſo tanto conglutinatur men-

mentis ardore, ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari ſui abſentiam non ſine mœrore ferens: qua ergo dilectione, quo ſtudio, quo fervore, anima quam deſponſaſti tibi fide & miſerationibus, debet diligere te verum Deum, & pulcherrimum ſponſum: qui nos ſic amaſti & ſalvaſti, qui pro nobis tot, tanta, & talia feciſti? Quanquam autem hæc infima habeant ſuas delectationes, ſuoſque amores: non tamen tali modo delectant ſicut tu Deus noſter. In te enim delectatur juſtus, quia amor tui ſuavis eſt & quietus. Nam pectora, quæ poſſides, dulcedine & ſuavitate & tranquillitate reples. Et contra, amor ſeculi & carnis anxius eſt & perturbatus: animas certe quas ingreditur, quietas eſſe non patitur; ſemper enim ſuſpicionibus, & perturbationibus, variiſque timoribus ſolicitat eas.

8. Tu itaque es delectatio rectorum & merito: quies enim valida eſt apud te, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudium Domini ſui, & non timebit amplius; ſed habebit ſe optime in optimo loco dicens: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Et illud: Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco paſcuæ ibi me collocavit. Dulcis Chriſte, bone Ieſu, reple ſemper (quæſo) cor meum inextinguibili dilectione tui, continua recordatione tua, adeo, ut ſicut flamma urens, totus ardeam in tui amoris dulcedine; quem & aquæ multæ in me nunquam poſſint extinguere. Fac me dulciſ-

sime Domine amare te ; & desiderio tui deponere pondus omnium carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum gravissimam sarcinam, quæ impugnant & aggravant miseram animam meam ; ut posse te expedite in odore unguentorum tuorum currens, usque ad tuæ pulchritudinis visionem efficaciter satiandus, quantocius te quoque duce merear pervenire.

9. Duo enim amores, alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, non simul in uno capiunt pectore. Et ideo si quis præter te aliud diligit, non est charitas tua Deus in eo. Amor dulcedinis, & dulcedo amoris : Amor non crucians, sed delectans amor sincere casteque permanens in sæculum sæculi ; amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris ; dulcis Christe, bone Iesu, charitas, Deus meus : accende me totum igne tuo amore tui, suavitate & dulcedine tua, jucunditate & exultatione tua, voluptate & concupiscentia tua, quæ sancta est & bona, casta & munda, tranquilla est & secura : ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ succensus, diligam te Deum meum ex toto corde meo, totisque medullis præcordiorum meorum, habens te in corde, in ore, & præ oculis meis semper & ubique ; ita ut nullus pateat in me locus adulterinis amoribus.

10. Audi Deus meus, audi lumen oculorum meorum : audi quæ peto, & da quæ petam, ut audias me. Pie & misericordissime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis pro-

propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui: & da mihi effectum petitionis meæ, & desiderii mei; intercedente, & orante, & impetrante gloriosa virgine genitrice tua, Maria Domina mea, cum omnibus Sanctis tuis, Amen.

CAPVT XXXVI.

Oratio devotissima ad laudes habendas.

1. CHriste Domine, verbum Patris, qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere: rogo te per indulgentissima misericordiæ tuæ viscera, emenda vitam meam, meliora actus, compone mores: tolle de me, quod mihi nocet, & tibi displicet: & da, quod nosti tibi placere, & mihi prodesse. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu solus? Tu es Deus omnipotens infinitæ pietatis: qui justificas impios, & vivificas mortuos propter peccatum: qui mutas peccatores, & non sunt. Tolle ergo de me, quidquid tibi displicet in me. Imperfecta enim mea plurima vident oculi tui. Mitte, quæso, manum pietatis tuæ in me: & tolle de me, quidquid offendit oculos pietatis tuæ in me. Coram te Domine est sanitas & infirmitas mea: illam (precor) serva, istam sana.

2. Sana me Domine, & salvabor: salvum me fac: & salvus ero: Tu, qui infirma sanas, & sanata conservas: Tu, qui solo nutu tuo restauras diruta & collapsa. Si enim dignaris in agro tuo corde meo serere bonum semen, necesse est, ut manu pietatis tuæ spi-

nas prius evellas vitiorum meorum. Dulciſſime, benigniſſime, amantiſſime, chariſſime, deſideratiſſime, amabiliſſime, pulcherrime; infunde obſecro, multitudinem dulcedinis tuæ & charitatis tuæ, pectori meo; ut nihil terrenum, nihil carnale deſiderem vel cogitem: ſed te ſolum amem, te ſolum habeam in corde & in ore meo. Scribe digito tuo in pectore meo, dulcem memoriam tui melliflui nominis, nulla unquam oblivione delendam. Scribe in tabulis cordis mei voluntatem tuam, & juſtificationes tuas; ut te immenſæ dulcedinis Dominum & præcepta tua ſemper & ubique habeam præ oculis meis. Succende mentem meam igne illo tuo quem miſiſti in terram, & Voluiſti vehementer accendi, ut ſacrificium ſpiritus contribulati & cordis contriti, obortis lachrymis quotidie offeram tibi.

3. Dulcis Chriſte, bone Ieſu, ſicut deſidero, ſicut tota mente mea peto; da mihi amorem tui ſanctum & caſtum, qui me repleat, teneat, totumque poſſideat. Et da mihi evidens ſignum amoris tui, irriguum lachrymarum fontem jugiter emanantem; ut ipſæ quoque lachrymæ, tui in me teſtentur amorem, ipſæ prodant, ipſæ loquantur, quantum te diligit anima mea: dum præ nimia dulcedine amoris tui, nequit ſe à lachrymis continere.

4. Reminiſcor, pie Domine, illius bonæ mulieris Annæ, quæ ad tabernaculum rogatura pro filio venit: de qua Scriptura refert, quod vultus ejus poſt lachrymas & preces,

non

non sunt amplius in diversa mutati. Sed memor tantæ virtutis, tantæque constantiæ, dolore torqueor, & verecundia confundor; quia me miserum, nimis deorsum jacere intueor. Si enim ita flevit, & in fletu perseveravit mulier, quæ quærebat filium; quomodo plangere & in planctu persistere debet anima mea, quæ quærit & amat Deum, & ad eum pervenire desiderat? Quomodo gemere ac flere debet talis anima, quæ quærit Deum die ac nocte? quæ præter Christum nihil vult amare? Mirum quippe est, si jam non factæ sunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte. Respice ergo & miserere mei: quia dolores cordis mei multiplicati sunt. Da mihi consolationem tuam cœlestem, & noli spernere peccatricem animam, pro qua mortuus es. Da mihi, quæso, lachrymas ex toto affectu internas, quæ peccatorum meorum possint solvere vincula, & cœlesti jucunditate semper repleant animam meam. Si non cum veris & perfectis Monachis, quorum vestigia nequeo imitari: saltem cum devotis mulieribus, quantulamcunque portionem in regno tuo merear adipisci.

5. Venit mihi quoque in mentem alterius mulieris devotio mira; quæ te in sepulchro jacentem, pro amore quærebat; quæ recedentibus discipulis de sepulchro, non recedebat: quia sedebat ibi tristis, & mœrens, & diu multumque flebat: & resurgens, multis lachrymis iterum iterumque antra deserti sepulchri vigilantibus oculis explorabat, si forte alicubi te videre posset, quem ferventi

desiderio quærebat. Iam certe semel & iterum ingressa sepulchrum viderat: sed nimium amanti non satis erat: virtus enim boni operis perseverantia est. Et quia præ cæteris dilexit, & diligendo flevit, & flendo quæsivit, & quærendo perseveravit: ideo prima omnium te invenire, te videre, & te alloqui meruit.

6. Et non solum hæc, sed etiam ipsis discipulis glorioſæ resurrectionis tuæ prænuncia extitit: te præcipiente, & clementer monente: Vade; dic fratribus meis ut vadant in Galilæam; ibi me videbunt. Si ergo ita flevit, & in fletu perseveravit mulier, quæ viventem cum mortuis quærebat, quæ te manu fidei tangebat, quomodo plangere & in planctu persistere debet anima, quæ te redemptorem suum jam cœlo præsidentem & ubique regnantem, corde credit, ore confitetur? Quomodo ergo gemere & flere debet talis anima, quæ te toto corde diligit, teque toto desiderio videre concupiscit? Solum confugium, & unica spes miserorum, qui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur.

7. Præsta mihi hanc gratiam propter te, & propter nomen sanctum tuum: ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero: quoties tui reminiscor, tibi assisto, laudes, preces & sacrificium offero: toties obortis lachrymis, in conspectu tuo copiose & dulciter fleam; ita ut efficiantur mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Tu quidem Rex gloriæ, & omnium virtutum magister, docuisti nos verbo & exemplo

gemere

gemere & flere, dicens: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Tu flevisti defunctum amicum, & lachrymatus es valde super perituram civitatem.

8. Rogo te bone Iesu per illas preciosissimas lachrymas tuas, & per omnes miserationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es: da mihi gratiam lachrymarum, quam multum desiderat & appetit anima mea: sine dono tuo, non possum habere eam, sed per Spiritum sanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit, & ad fletum compungit. Da mihi gratiam lachrymarum, sicut dedisti patribus nostris, quorum vestigia debeo imitari; ut plangam me in omni vita mea, sicut ipsi se planxerunt nocte ac die. Propter merita & orationes eorum, qui tibi placuerunt & devotissime servierunt: miserere mei miserrimi & indigni servi tui: & da mihi gratiam lachrymarum. Da mihi irriguum superius, & irriguum inferius; ut sint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, efficiatque in conspectu tuo, Deus meus, per ignem compunctionis, holocaustum pingue & medullatum, macter totus in ara cordis mei, & tanquam pinguissimum holocaustum assumar tibi in odorem suavitatis.

9. Da mihi, dulcissime, fontem irriguum, fontemque perspicuum, in quo lavetur assidue istud inquinatum holocaustum. Licet enim me totum tibi obtulerim opitulante gratia tua, in multis tamen quotidie offendo propter nimiam fragilitatem meam.

Da ergo mihi gratiam lachrymarum, benedicte & amabilis Deus; præcipue ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione misericordiarum tuarum, præpara hanc mensam famulo tuo in conspectu tuo, & da mihi in potestatem, ut quoties volo, satier ex ea.

10. Tribue pro pietate & bonitate tua, ut iste calix tuus inebrians & præclarus, satiet sitim meam, ut inhiet tibi spiritus meus, & ardeat mens mea in amore tui, oblitus vanitatis & miseriæ. Audi Deus meus, audi lumen oculorum meorum; audi quæ peto, & da ut petam quod audias, pie & exorabilis Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea: sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui, & da mihi effectum petitionis meæ & desiderii mei precibus & meritis glorioſæ Virginis Mariæ Dominæ meæ, & omnium Sanctorum, Amen.

CAPVT XXXVII.

In ista oratione mens humana copiosius compungitur, si in quiete dicatur.

1. IEsu Domine, Iesu pie, Iesu bone, qui mori dignatus es propter peccata nostra, & resurrexisti propter justificationem nostri: rogo te per glorioſam resurrectionem tuam, resuscita me de sepulchro vitiorum & peccatorum meorum omnium: & da mihi quotidie partem in resurrectione prima: ut in resurrectione tua merear veraciter percipere portionem. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, preciosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, ascen-

ascendisti in cœlum cum triumpho gloriæ tuæ, & sedes ad dexteram Patris, rex potentissime. Trahe me sursum ad te, ut curram post te in odorem unguentorum tuorum, curram & non deficiam, te trahente, te ducente me currentem. Trahe os sitientis te animæ, in superna fluenta æternæ satietatis, imo trahe me ad te fontem vivum, ut inde pro captu meo bibam unde semper vivam, Deus meus, vita mea.

2. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Fons vitæ, da sitienti animæ semper bibere ex te, ut secundum sanctam & veridicam promissionem tuam, de ventre meo fluant aquæ vivæ. Fons vitæ, reple mentem meam torrente voluptatis tuæ: inebria cor meum sobria ebrietate amoris tui: ut obliviscar quæ vana sunt & terrena, & te solum jugiter habeam in memoria mea, sicut scriptum est: Memor fui Dei, & delectatus sum.

3. Da mihi Spiritum sanctum tuum, quem significabant illæ aquæ, quas sitientibus daturum te promiseras. Da, quæso, toto desiderio & omni studio tendere, quo te ascendisse post resurrectionem die quadragesimo, credimus; ut in præsenti quidem miseria solo tenear corpore; tecum autem sim cogitatione semper & aviditate: ut ibi sit cor meum ubi tu es, thesaurus meus desiderabilis & incomparabilis, multumque amabilis. In hoc enim magno hujus vitæ diluvio, ubi circumstantibus agitamur procellis, & non invenitur fida statio & locus emi-

nentior, ubi pes columbæ valeat aliquatenus requieſcere; nuſquam tuta pax, nuſquam ſecura quies: ubique bella & lites, ubique hoſtes: foris pugnæ, intus timores.

4. Et quia altera pars ſumus cœli, altera terræ, corpus quod corrumpitur aggravat animam: Idcirco animus meus, ſocius & amicus meus fatigatus, de via veniens languet & jacet; diſciſſus atque laceratus ab iis, quas pertranſierat, vanitatibus, eſurit & ſitit valde: & non habeo quod ponam ante illum, quia pauper ſum & mendicus. Tu Domine Deus meus dives omnium bonorum, & dapum ſupernæ ſatietatis opulentiſſime largitor: da laſſo cibum, collige diſperſum, reintegra ſciſſum. En ſtat ad oſtium & pulſat. Obſecro per viſcera miſericordiæ tuæ, quibus viſitaſti nos oriens ex alto: aperi pulſanti miſero manum pietatis tuæ: & jube propitiabili dignatione, ut ingrediatur ad te, requieſcat in te, reficiatur de te vivo cœleſtique pane; quo ſatiatus reſumptiſque viribus, ad ſuperiora conſcendat, & de hac valle lachrymarum, penna ſancti deſiderii raptus, ad cœleſtia regna volitet.

5. Aſſumat, Domine, aſſumat (rogo) ſpiritus meus pennas ut aquilæ, & volitet & non deficiat; volitet & perveniat uſque ad decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: ut ibi ſuper menſam refectionis civium ſupernorum paſcatur de occultis tuis in loco paſcuæ tuæ, juxta fluenta pleniſſima: requieſcat in te Deus cor meum, cor mare magnum, tumens fluctibus. Tu, qui imperaſti

rasti ventis & mari, & facta est tranquillitas magna: veni & gradere super fluctus cordis mei, ut tranquilla & serena fiant omnia mea, quatenus unum bonum meum amplectar te, & dulce lumen oculorum meorum contempler te, sine tumultuantium cogitationum cæca caligine. Confugiat Domine mens mea sub umbra alarum tuarum ab æstibus cogitationum hujus sæculi, ut in tui refrigerii temperamento absconsa, lætabunda cantet & dicat: In pace in idipsum dormiam & requiescam.

6. Dormiat (obsecro) Domine Deus, dormiat memoria mea ab omnibus malis: iniquitatem odiat, justitiam diligat. Quid enim pulchrius, quidve dulcius, quam inter tenebras hujus vitæ multasque amaritudines, divinæ dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini suspirare? illic teneri mente, ubi vera habere gaudia certissimum est? Dulcissime, amantissime, benignissime, charissime, preciosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, quando te videbo? Quando apparebo ante faciem tuam? Quando satiabor de pulchritudine tua? Quando educes me de hoc carcere tenebroso, ut confitear nomini tuo: ita ut deinceps non compungar?

7. Quando transibo in illam admirabilem & pulcherrimam domum tuam, ubi personat vox lætitiæ & exultationis, in tabernaculis justorum? Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beati & vere beati, quos elegisti & assumpsisti in illam cœlestem hereditatem.

Ecce

Ecce Sancti tui, Domine, florent ante te sicut lilium. Replentur enim ab ubertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potas eos, quoniam tu es fons vitæ, & in lumine tuo vident lumen: usque adeo, ut ipsi videlicet lumen illuminatum per te Deum illuminantem sicut Sol effulgeant in conspectu. O quam mira, quam pulchra, quam acceptabilia sunt domus tuæ habitacula, Domine virtutum! concupiscit intrare in ea hæc peccatrix anima mea. Domine dilexi decorem domus tuæ, locum habitationis gloriæ tuæ.

8. Vnam rem petii à Domino, & hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam: quando videbo Deum meum quem sitit anima mea? Quando videbo eum in terra viventium? In ista enim terra morientium videri non potest mortalibus oculis. Quid faciam miser ego, gravedine compedis mortalitatis meæ constrictus? Quid faciam? Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Noster autem municipatus in cœlis est.

9. Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: & volabo, & requiescam? Nihil mihi tam dulce, quam

cum

cum Domino meo esse. Mihi autem adhærere Deo bonum est. Da mihi, Domine, donec his fragilibus adsisto membris, tibi adhærere, sicut scriptum est: Qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo. Præbe mihi, rogo, contemplationis pennas, quibus indutus, ad te volitem sursum; & quia omne sinistrum deorsum jacet, tene mentem meam, ne ad ima tenebrosæ vallis corruat: ne interveniente umbra terræ, à te vero justitiæ Sole separetur; & adducta tenebrarum nebula prohibeatur alta respicere. Idcirco sursum tendo ad pacis gaudia, luciſque delectabilem & serenissimum statum.

10. Tene cor meum manu tua, quia sine te ad altiora non rapitur. Illuc festino, ubi summa pax regnat, & jugis tranquillitas rutilat. Tene & rege spiritum meum, & assume illum secundum voluntatem tuam: ut, te duce, ascendat in illam regionem ubertatis, ubi pascis Israel in æternum pabulo veritatis: Vt ibi vel rapida cogitatione attingat te summam sapientiam, super omnia manentem, cuncta transeuntem & omnia gubernantem. Sed volitanti ad te animæ multa sunt quæ obstrepunt. Iussu tuo Domine conticescant mihi omnia. Ipsa sibi anima mea sileat, omnia pertranseat, omnia quæ creata sunt transcendat à se, & perveniat ad te; atque in te solo creatore omnium oculos fidei figat, tibi inhiet, tibi intendat: te meditetur, te contempletur; te sibi ante oculos ponat, te sub corde revolvat, verum & summum bonum, & gaudium sine fine mansurum.

11. Mul-

11. Multæ denique ſunt contemplationes, quibus anima devota tibi mirabiliter paſcitur, ſed in nulla earum ita delectatur & requieſcit anima mea ſicut in te, & quando te ſolum cogitat & contemplatur. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine? quam mirabiliter inſpiras cordibus amatorum tuorum? Quam mira ſuavitas amoris tui, quo perfruuntur illi, qui nihil præter te diligunt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare concupiſcunt. Felices illi, quibus tu ſolus ſpes es! & omne opus eorum, oratio! Beatus qui ſedet ſolitarius & tacet, & ſtat ſuper cuſtodiam ſuam jugiter die ac nocte: ut adhuc in hoc fragili corpuſculo poſitus, prælibare valeat aliquatenus dulcedinem tuam.

12. Rogo te per illa ſalutifera vulnera tua, quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra, è quibus emanavit ille precioſus ſanguis, quo ſumus redempti: vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo & potentiſſimo telo tuæ nimiæ charitatis. Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Tu ſagitta electa, & gladius acutiſſimus, qui durum ſcutum humani cordis penetrare tua potentia vales, confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: Charitate tua vulnerata ſum: ita ut ex ipſo vulnere amoris tui uberrime fluant lachrymæ die ac nocte.

13. Percute Domine, percute (obſecro) hanc duriſſimam mentem meam pia & valida

da cuſpide dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potenti virtute; & ſic de capite meo educ aquam immenſam, & de oculis meis verum fontem lachrymarum jugiter manantem, ex nimio affectu & deſiderio viſionis pulchritudinis tuæ: ut lugeam die ac nocte, nullam in præſenti vita recipiens conſolationem, donec te in cæleſti thalamo merear videre dilectum & pulcherrimum ſponſum meum, Deum & Dominum meum. Vt ibi videns glorioſam, admirabilem & pulcherrimam faciem tuam omni dulcedine plenam, cum iis quos elegiſti, majeſtatem tuam ſupplex adorem; & illic tandem cœleſti & ineffabili repletus jubilo æternæ exultationis, exclamem cum diligentibus te, dicens: Ecce, quod concupivi jam video, quod ſperavi jam teneo, quod deſideravi jam habeo. Illi namque in cœlis junctus ſum, quem in terris poſitus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus ſum, cui toto amore inhæſi: ipſum laudo, benedico atque adoro. Qui vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPVT XXXVIII.

Oratio in tribulatione.

1. MIſerere Domine, miſerere pie, miſerere mihi miſerrimo peccatori indigna agenti, & digna patienti, aſſidue peccanti, & tua flagella quotidie ſuſtinenti. Si penſo malum quotidie quod feci, non eſt tantum quod patior: gravius eſt quod commiſi: levius eſt quod tolero. Iuſtus es Domine,

mine, & rectum judicium tuum: omnia judicia tua justa sunt & vera. Iustus & rectus tu es Domine Deus noster, & non est ulla iniquitas in te. Non enim injuste neque crudeliter affligis nos peccatores, omnipotens & misericors Domine: qui cum non essemus, potenter fecisti nos: & cum perditi fuissemus culpa nostra, pietate & bonitate tua mirabiliter reparasti nos.

2. Scio & certus sum, quod vita nostra non temerariis motibus agitur: sed à te Domino Deo nostro disponitur & gubernatur. Vnde tibi cura est de omnibus, præcipue de servis tuis, qui totam spem suam posuerunt in sola misericordia tua. Idcirco obsecro & suppliciter rogo, ut non facias mihi secundum peccata mea quibus iram tuam merui: sed secundum magnam misericordiam tuam, quæ superat etiam peccata totius mundi. Tu Domine, qui exterius flagella irrogas: da semper interius indeficientem patientiam, ita ut laus tua non recedat de ore meo. Miserere mei Domine, miserere mei, & adjuva me, sicut tu nosti quod mihi est necesse in corpore & in anima: scis omnia, potes omnia, qui vivis in sæcula.

CAPVT XXXIX.

Oratio multum devota ad Filium.

1. DOmine Iesu Christe, fili Dei vivi, qui in cruce expansis manibus, propter mortalium omnium redemptionem hausisti calicem Passionis, mihi hodie præbere digneris auxilium. Ecce pauper venio ad te

ad te divitem, miser ad misericordem; ne recedam vacuus vel contemptus. Esuriens incipio, ne desinam de te jejunus. Famelicus accedo, ne recedam impastus. Et si antequam comedam suspiro, da vel post suspiria ut comedam. In primis, dulcissime Iesu, coram magnificentia tuæ suavitatis, confiteor adversum me injustitiam meam. Ecce, Domine, quia in peccatis fui conceptus & natus: & tu me abluisti & sanctificasti: & ego postea me majoribus sordidavi peccatis. Fui enim in necessariis natus, postea in spontaneis volutatus.

2. Sed tuæ, Domine, miserationis non immemor: tulisti me de domo patris mei carnalis, & de tabernaculis peccatorum: & inspirasti mihi ut sequerer te, cum generatione quærentium faciem tuam, ambulantium semitam rectam, commorantium inter lilia castitatis, & tecum discumbentium in cænaculo altissimæ paupertatis. Et ego tot beneficiorum ingratus, post religionis ingressum multa commisi illicita, multa perpetravi nefanda: & ubi peccata emendare debui, peccata peccatis addidi. Hæc sunt mala mea, Domine, quibus exhonoravi te, & maculavi me (quem ad imaginem & similitudinem tuam creasti) superbia, vana gloria, & cætera alia mala multa, quibus vexatur & affligitur, laceratur & destruitur infelix anima mea.

3. Ecce, Domine, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me: & nisi tu, cui propriũ

est misereri semper & parcere, dexteram tuæ majestatis supponas, mergi cogor miserabiliter in profundum. Attende, Domine Deus, & vide, quoniam sanctus, & ecce insultat adversum me inimicus meus, dicens: Deus dereliquit eum, persequar & comprehendam eum, quia non est qui eripiat. Et tu Domine usquequo? Convertere, & eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam. Miserere filii tui, quem in dolore non modico peperisti; & noli attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Quis est pater, qui filium non liberet? aut quis filius, quem pater pietatis baculo non corripiat?

4. Ergo pater & Domine, licet peccator sim, non possum non esse filius tuus: quia tu me fecisti & refecisti, sicut peccavi, emenda me; & prius flagello me emendatum, trade me filio tuo. Nunquid obliviscì potest mater infantem uteri sui? Et certe, si illa oblita fuerit, tu pater promisisti te non oblivisci. Ecce clamo, & non exaudis me: dolore crucior, & non consolaris me. Quid dicam, vel quid faciam miserrimus? Ego tanto destitutus solatio, projectus sum à facie oculorum tuorum. Heu me, de quanto bono in quantum malum cecidi! Quo tendebam, & quo deveni? Vbi sum, & ubi non sum? Ad quæ aspiravi, & nunc in quibus suspiro? Quæsivi bona, & ecce turbatio. Ecce jam morior, & Iesus non est mecum. Et certe melius est mihi non esse, quam sine Iesu esse. Melius est non vivere, quam vivere sine vita.

5. Et

5. Et tu Domine Ieſu, ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ? Nunquid iraſceris mihi in finem? Placare obſecro, & miſerere mei, & non avertas faciem tuam à me: qui pro me redimendo, non avertiſti faciem tuam ab increpantibus & conſpuentibus in te. Fateor, quia peccavi, & conſcientia mea meretur damnationem, & pœnitentia non ſufficit ad ſatisfactionem: ſed certum eſt, quod miſericordia tua ſuperat omnem offenſionem. Noli, quæſo, piiſſime Domine, ſcribere adverſum me amaritudines meas, ut intres in judicium cum ſervo tuo; ſed ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Væ mihi miſero! cum venerit dies judicii, & aperti fuerint libri conſcientiarum: cum dicetur de me: Ecce homo, & opera ejus. Quid faciam tunc, Domine Deus meus, cum cœli revelabunt iniquitatem meam, & adverſum me terra conſurget? Ecce nihil reſpondere potero, ſed demiſſo capite præ confuſione, coram te ſtabo trepidus & confuſus.

6. Heu me miſerum, quid dicam? Clamabo ad te Domine Deus meus. Quare tacens conſumor? Verumtamen ſi locutus fuero, non quieſcet dolor meus: & ſi tacuero, amariſſima amaritudine cruciabor interius. Plange anima mea, ſicut vidua ſuper virum pubertatis ſuæ. Vlula miſera, & plora, quoniam dimiſit te ſponſus tuus, id eſt, Chriſtus. Ita omnipotens, ne irruas ſuper me, quia nunquam capi poſſes in me. Certe non eſt in toto me, quod poſſet tolerare te. Miſe-

rere ne desperem, sed desperando respirem. Et si ego commisi, unde me damnare potes; tu non amisisti unde salvare soles.

7. Tu Domine non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium: imo ut mortui viverent, tu mortuus es, & mors tua peccatorum mortem occidit: & ipsi te moriente vixerunt. Obsecro te Domine, ut ego, te vivente, non moriar. Mitte manum tuam de alto, & libera me de manu inimicorum meorum; ne supergaudeant mihi, & dicant: Devorabimus eum. Quis unquam bone Iesu, de tua misericordia diffidat; qui cum inimici tui essemus, redemisti nos in sanguine tuo, & reconciliasti nos Deo? Ecce sub tuæ misericordiæ umbra protectus, ad thronum gloriæ veniam postulans curro, clamans & pulsans, donec miserearis mihi. Si enim ad veniam nos vocasti, veniam non quærentes, quanto magis veniam impetrabimus postulantes?

8. Ne memineris, dulcissime Iesu, tuæ justitiæ adversus peccatorem tuum: sed esto memor benignitatis tuæ adversus creaturam tuam. Ne memineris iræ adversus reum, sed memor esto miserationis tuæ adversus miserum. Obliviscere superbum provocantem, & respice miserum invocantem. Quid enim est Iesus nisi Salvator? Ergo Iesu per temetipsum exsurge in adjutorium mihi, & dic animæ meæ: salus tua ego sum. Multum Domine de tua bonitate præsumo, quoniam tu ipse doces petere, quærere, & pulsare. Et ideo tua oratione admonitus, peto, quæro, & pulso.

9. Et

9. Et tu Domine, qui jubes petere, fac accipere; consulis quærere, da & invenire; doces pulsare, aperi pulsanti: & confirma me infirmum, restaura me perditum, suscita me mortuum; & omnes sensus meos, cogitatus & actus dirigere & gubernare digneris in beneplacito tuo; ut de cætero tibi serviam, tibi vivam, tibique me tradam. Scio, Domine mi, quia ex hoc quod me fecisti, debeo tibi meipsum: & quia me redemisti, & pro me homo factus es, deberem tibi plus quam me; si haberem quanto tu major es, pro quo dedisti te ipsum. Ecce nec plus habeo, nec quod habeo dare tibi possum sine te, sed accipe me tu, & trahe me ad te; ut tuus sim imitatione & dilectione, sicut tuus sum conditione & creatione. Qui vivis & regnas in sæcula, Amen.

CAPVT XL.

Oratio utilis.

1. DOmine Deus omnipotens, qui es trinus & unus, qui es semper in omnibus; & eras ante omnia, & eris semper in omnibus Deus benedictus in sæcula: tibi commendo hodie & omni tempore animam meam, corpus meum, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum: omnes cogitationes meas, affectiones, locutiones, actiones: omnia exteriora & interiora, sensum & intellectum, memoriam meam, fidem & credulitatem meam, & perseverantiam meam, in manus potentiæ tuæ: ut custodias ea diebus & noctibus, horis atque momen-

mentis. Exaudi me Trinitas sancta, & conserva me ab omni malo, ab omni scandalo, & ab omni mortali peccato, ab omnibus insidiis & infestationibus dæmonum, & inimicorum visibilium & invisibilium; per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, & per intercessionem omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi.

2. Expelle à me jactantiam mentis, & auge compunctionem cordis; minue superbiam meam, & perfice in me humilitatem veram; suscita in me fletum, mollifica cor meum durum & lapideum; libera me Domine & animam meam ab omnibus insidiis inimici, & conserva me in tua voluntate. Doce me Domine voluntatem tuam facere, quia Deus meus es tu. Da mihi Domine sensum perfectum & intellectum, ut suspicere valeam profundam benignitatem tuam. Illud da mihi petere, quod te audire delectet, & mihi expediat. Da mihi lachrymas ex toto affectu, quæ peccatorum meorum possint dissolvere vincula.

3. Audi Domine meus & Deus meus. Audi lumen oculorum meorum. Audi quæ peto; & da ut quod peto, exaudias. Si despicis, pereo; si respicis, vivo. Si justitiam meam requiris, mortuus fœteo: si cum misericordia respexeris, fœtentem resuscitas de sepulchro. Quod odis in me, longe fac à me, & castitatis ac continentiæ spiritum insere in

re in me, quodcunque petiero in ipsa petitione, te non offendam. Tolle à me quod nocet, & præbe quod juvet. Præsta mihi, Domine, medicinam, unde mea possint curari vulnera. Da mihi Domine timorem tui, cordis compunctionem, mentis humilitatem, & conscientiam puram. Præsta mihi, Domine, ut fraternam semper tenere valeam charitatem: & mala mea non obliviscar, aliena non requiram.

4. Parce animæ meæ, parce malis meis, parce peccatis meis, parce criminibus meis. Visita me infirmum, cura me ægrum, sana me languentem, & suscita me mortuum. Da mihi Domine cor, quod te timeat; mentem, quæ te diligat; sensum, qui te intelligat; aures, quæ te audiant; oculos, qui te videant. Miserere mei Deus, miserere mei, & respice me de sede sancta Majestatis tuæ, & tenebras cordis mei radio splendoris tui illumina. Da mihi Domine discretionem discernendi inter bonum & malum: & concede, ut sensum habeam pervigilem. Peto à te Domine remissionem omnium peccatorũ meorum à quo & per quem mihi fiat propitiatio in tempore necessitatis & angustiæ meæ.

5. Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, & mater Domini nostri Iesu Christi, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici templum. Sancte Michael, sancte Gabriel, sancte Raphael, sancti chori Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum atque Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Con-

fessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumque justorum, per illum qui vos elegit, & de cujus contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo; ut pro me culpabili, ipsi Deo supplicare dignemini; quatenus de faucibus diaboli & de morte perpetua merear liberari. Largiri mihi digneris Domine perpetuam vitam, secundum clementiam ac benignissimam misericordiam tuam.

6. Da Domine Iesu Christe sacerdotibus concordiam, regibus & principibus juste judicantibus tranquillitatem & pacem. Oro Domine pro universa sancta Ecclesia Catholica, pro viris & fœminis, pro religiosis & sæcularibus, pro omnibus rectoribus Christianorum, cunctisque in te credentibus, qui pro amore tui sancto laborant, ut perseverantiam boni operis obtineant. Præsta, Domine Rex æterne, Virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis sanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam, viduis & orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, lugentibus consolationem, defunctis fidelibus requiem sempiternam, navigantibus in portum venire salutis; optimis, ut in bonitate semper consistant; bonis & mediocribus, ut meliores fiant; prave agentibus & delinquentibus, ut mihi misero, ut cito se corrigant. O dulcissime & misericordissime Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, redemptor mundi, inter omnes & per omnia me miserum peccatorem confiteor.

7. Sed

7. Sed tu clementissime Pater & summe, qui omnium misereris, non me patiaris à tua misericordia fieri alienum. Et tu Domine Rex regum, qui inducias vivendi præstas, corrigendi mihi devotionem tribue. Excita in me mentem, quæ te requirat, te desideret, & te (qui es ubique totus trinus & unus) semper præ omnibus amet, te timeat, tuamque voluntatem faciat. Præcipue ergo te, Domine sancte Pater, deprecor, qui es benedictus & gloriosus per omnia sæcula, ut omnes qui mei memoriam faciunt in suis orationibus, & qui indignis orationibus meis se commendaverunt, & qui mihi aliquod charitatis officium & pietatis studium impenderunt: seu & illos, qui consanguinitate ac cognationis affectu sunt mihi propinqui, tam & illos, qui nunc consistunt in corpore, quam & illos qui teguntur funere, misericorditer gubernare digneris, ne pereant.

8. Omnibus etiam Christianis vivis adjutorium præstare digneris: & defunctis fidelibus absolutionem, & requiem sempiternam, per omnia sæcula. Nec non & illud magnopere supplico Domine, qui es α & ω, ut cum extrema dies mea finisque vitæ meæ advenerit, tu mihi sis misericors judex contra malignum accusatorem diabolum; & sis mihi perpetuus defensor, adversus insidias hostis antiqui; & in societatem Angelorum, omniumque Sanctorum in sancto paradiso tuo me perseverare facias. Qui es benedictus in sæcula sæculorum,

CAPVT XLI.

Oratio devota de recordatione paſſionis Chriſti.

1. DOmine Ieſu Chriſte, redemptio mea, miſericordia mea, ſalus mea: te laudo, tibi gratias ago; quamvis valde impares tuis beneficiis, quamvis multum expertes devotionis, quamvis macras à deſiderata pinguedine dulciſſimi tui affectus, tamen qualeſcunque gratias, non quales ſcio me debere, ſed ſicut poteſt conari, tibi perſolvit anima mea. Spes cordis mei, virtus animæ meæ, compleat tua potentiſſima dignitas, quod conatur mea tepidiſſima imbecillitas, vita mea, tu finis intentionis meæ. Etſi nondum merui tantum, quantum debitor ſum amare, utique ſaltem deſidero te amare quantum debeo.

2. Illuminatio mea, tu vides conſcientiam meam, quia, Domine, ante te eſt omne deſiderium meum, & tu donas ſiquid bene vult conſcientia mea. Si bonum eſt, Domine, quod inſpiras; imo, quia bonum eſt, ut te velim amare: da, quod me facis velle: da, ut quantum jubes, tantum te merear amare. Laudes & gratias offero, ne ſit mihi donum tuum infructuoſum, quod tua ſpontanea dediſti voluntate. Perfice quod incœpiſti, & dona quod me benigne præveniendo, immeritum deſiderare feciſti. Converte, benigniſſime, meum torporem in ferventiſſimum tui amorem. Ad hoc enim, clementiſſime, tendit hæc oratio mea, hæc memoria

ria & meditatio beneficiorum tuorum, ut tui accendas in me amorem.

3. Tua me, Domine, bonitas creavit; tua misericordia creatum ab originali peccato mundavit; tua patientia post illam emundationem Baptismi, in aliis peccatorum sordibus involutum hactenus toleravit, nutrivit, & expectavit. Expectas tu, bone Domine correctionem, expectat anima mea ad pœnitendum, ad bene vivendum tuæ gratiæ inspirationem. Deus meus, creator meus, tolerator & nutritor meus, te sitio, te esurio, te desidero, ad te suspiro, & concupisco, & sicut pupillus benignissimi patris orbatus præsentia, flens & ejulans incessanter, ejus dilectam faciem toto corde amplectitur: sic ego non quantum debeo, sed quantum queo, memor passionis tuæ, memor alaparum tuarum, memor flagellorum, memor vulnerum tuorum, memor qualiter pro me occisus es, qualiter conditus, qualiter sepultus, simul memor tuæ glorioſæ resurrectionis, & admirabilis ascensionis, hæc indubitata fide teneo, exilii mei ærumnas defleo, spero tui adventus solam consolationem, ardenter desidero tui vultus glorioſam contemplationem.

4. Hei mihi! quia videre non potui Dominum Angelorum, humiliatum ad conversationem hominum, ut homines exaltaret ad conversationem Angelorum, cum Deus offensus moriebatur, ut peccator viveret. Heu, quod tam admirabili, tam inæstimabili pietati præsens obstupescere non merui!

merui! Cur, ô anima mea, te præsertim non transfigit gladius doloris acutissimi, cum ferre non possis vulnerari lancea latus tui Salvatoris? cum videre nequires violari clavis pedes, & manus tui plasmatoris? cum horrore effundi sanguinem tui Redemptoris?

5. Cur non es inebriata lachrymarum amaritudine, cum ille potaretur amaritudine fellis? Cur non es compassa castissimæ Virgini dignissimæ matri ejus, dignissimæ Dominæ tuæ? Domina mea misericordissima, quos fontes dicam erupisse de tuis pudicissimis oculis, cum attenderes unicum filium tuum innocentem coram te ligari, flagellari, & mactari? Quos fletus credam perfudisse piissimum tuum vultum, cum suspiceres eundem filium tuum, Deum & Dominum tuum in cruce sine culpa extendi, & carnem de carne tua ab impiis crudeliter dissecari? Quibus singultibus, æstimabo purissimum pectus tuum vexatum esse, cum tu audires: Mulier, ecce filius tuus. Et discipulus: Ecce mater tua. Cum acciperes discipulum pro magistro, servum pro domino.

6. Vtinam cum felice Ioseph Dominum meum de cruce deposuissem, aromatibus condidissem, in sepulchro collocassem; ut saltem persecutus vel consecutus essem, ut tanto funeri non defuisset aliquid mei obsequii. Vtinam cum beatis mulieribus, corusca visione Angelorum essem territus, & audissem nuntium Dominicæ resurrectionis, nuncium meæ consolationis, nuncium tam expectatum, nuncium tam desideratum. Vtinam,

nam, inquam, audiſſem ex ore Angeli: Nolite timere vos: Ieſum quæritis crucifixum, ſurrexit, non eſt hic, Benigniſſime, ſuaviſſime, ſereniſſime, quando reſtaurabis mihi, quia non vidi illam beatæ tuæ carnis incorruptionem; quia non fui deoſculatus loca vulnerum, fixuram clavorum? quia non reſperſi lachrymis gaudii cicatrices corporis veri? Admirabilis, inæſtimabilis, incomparabilis, quando conſolaberis & compeſces me à dolore meo? Non enim cadit à me dolor meus, quamdiu peregrinus ſum à Domino meo.

7. Heu mihi Domine! heu animæ meæ! Receſſiſti conſolator animæ meæ, nec vale dixiſti. Ingrediens vias tuas benedixiſti tuis, nec affui. Elevatis manibus à nube ſuſceptus es in cælum, nec vidi. Angeli promiſerunt te rediturum, nec audivi. Quid dicam? quid faciam? quo vadam? ubi eum quæram? vel quando inveniam? quem rogabo? quis annunciabit dilecto, quia amore langueo? Defecit gaudium cordis mei, verſus eſt in luctum riſus meus: defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum. Renuit conſolari anima mea, niſi de te dulcedo mea. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Te volo, te ſpero, te quæro, tibi dixit cor meum: Quæſivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, ne avertas faciem tuam à me.

8. Amator hominum benigniſſime, tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.

tor. Mi advocate tutissime miserere mei, orphani derelicti; pupillus factus sum absque patre, anima mea quasi vidua. Respice orbitatis & viduitatis meæ lachrymas, quas tibi offero donec redeas. Eia jam Domine, eia appare mihi, & consolatus ero. Exhibe præsentiam tuam, & consecutus ero desiderium meum. Revela gloriam tuam, & erit perfectum gaudium meum. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?

9. Quando venies, consolator meus? Quem expectabo? O si quando videbo gaudium meum, quod desidero! O si satiabor cum apparuerit gloria mea, quam esurio! O si inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam suspiro! Si potabis me torrente voluptatis tuæ, quem sitio! Sint mihi, Domine, interim lachrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi: Ecce Deus tuus; donec audiat anima mea: Ecce sponsus tuus. Pasce interim me singultibus meis, refocilla me doloribus meis. Veniet fortasse redemptor meus, quia bonus est; nec tardabit, quia pius est. Ipsi gloria in sæcula sæcalorum, Amen.

Meditationum finis.

DIVI

DIVI AVGVSTINI Hipponensis Episcopi, LIBER SOLILOQUIORUM animæ ad Deum.

CAPVT I.

De ineffabili dulcedine Dei.

COgnoscam te Domine cognitor meus: cognoscam te virtus animæ meæ. Ostende te mihi, consolator meus: videam te lumen oculorum meorum. Veni gaudium spiritus mei; videam te, lætitia cordis mei. Diligam te, vita animæ meæ. Appare mihi delectatio mea magna, solatium meum dulce: Domine Deus meus, vita mea, & gloria tota animæ meæ. Inveniam te, desiderium cordis mei; teneam te, amor animæ meæ. Amplectar te sponse cœlestis, exultatio mea summa intus, & extra. Possideam te beatitudo sempiterna; possideam te in medio cordis mei, vita beata, dulcedo summa animæ meæ. Diligam te Domine fortitudo mea, Domine firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Amem te Deus meus, adjutor meus, turris fortitudinis mihi, & spes mea dulcis in omni tribulatione mea. Amplectar te bo-

bonum, ſine quo nihil bonum; fruar te optimo, ſine quo nihil eſt optimum. Aperi penetralia aurium mearum, verbo penetrabiliori omni gladio ancipiti, ut audiam vocem tuam. Intona, Domine, deſuper voce grandi & forti. Tonet mare & plenitudo ejus, commoveatur terra, & omnia quæ in eis ſunt.

2. Illuſtra oculos meos lux incomprehenſibilis; fulgura coruſcationem, & diſſipa eos, ut non videant vanitatem. Fulgura multiplica, & conturba eos; appareant fontes aquarum, & revelentur fundamenta orbis terrarum. Tribue viſum, lux inviſibilis, qui te videat. Crea novum olfactum, odor vitæ, qui poſt te currat in odorem unguentorum tuorum. Guſtum ſana, qui ſapiat & cognoſcat & diſcernat, quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti his, qui pleni ſunt charitatis tuæ. Da cor, quod te cogitet: animum, qui te diligat: mentem, quæ te recolat: intellectum, qui te intelligat: rationem, quæ tibi ſemper ſumno delectabili fortiter adhæreat. Te ſemper amor ſapiens diligat. O vita, cui omnia vivunt: vita, quæ dat mihi vitam: vita, quæ eſt mea vita, per quam vivo, ſine qua morior: vita, per quam reſuſcitor, ſine qua pereo: vita, per quam gaudeo, ſine qua tribulor. Vita vitalis, dulcis & amabilis, ſemper memorabilis, ubi quæſo es? Vbi te inveniam, ut in me deficiam, & in te ſubſiſtam? Prope eſto in animo, prope in corde, prope in ore, prope in auribus, prope in auxilio: quia amore

amore langueo, quia sine te morior, quia te recolens suscitor. Odor tuus me recreat, memoria tui me sanat: sed satiabor cum apparuerit gloria tua, vita animæ meæ. Concupiscit & deficit anima mea de memoria tua, quando veniam & apparebo tibi, lætitia mea?

3. Quare faciem tuam avertis, gaudium meum per quod gaudeo? Vbi est absconditus pulcher quem desidero? Odorem tuum haurio, vivo, & gaudeo: te autem non video. Vocem tuam audio, & reviviſco. Sed cur faciem tuam abscondis? Forte dicis: Non videbit me homo, & vivet. Eja Domine moriar, ut te videam: videam ut hic moriar. Nolo vivere, volo mori: dissolvi cupio, & esse cum Christo. Mori desidero, ut videam Christum: vivere renuo, ut vivam cum Christo. O Domine Iesu, accipe spiritum meum: Vita mea, suscipe anima meam: Gaudium meum, attrahe cor meum: Dulcis cibus meus, comedam te: Caput meum, dirige me: Lumen oculorum meorum, illumina me: Melos meum, tempera me: Odor meus, vivifica me: Verbum Dei, recrea me: Laus mea, lætifica animam servi tui. Intra in eam, Gaudium meum, ut in te gaudeat. Intra in eam, Dulcedo summa, ut dulcia sapiat. Lumen æternum, illustra super eam, ut te intelligat, cognoscat, & diligat. Ob hoc enim non te diligit, Domine, si te non diligit, quia non te cognoscit: & te ideo non cognoscit, quia non intelligit: & idcirco non intelligit, quia lumen tuum non

comprehendit: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

4. O lux mentis, ô lucens veritas, ô vera claritas, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum! Venientem quidem, sed non diligentem: quia qui diligit mundum, inimicus Dei constituitur. Expelle tenebras desuper faciem abyssi mentis meæ, ut videat te intelligendo, ut cognoscat te comprehendendo, ut diligat te cognoscendo. Quisquis enim cognoscit te, diligit te; se obliviscitur, amat te plusquam se; relinquit se, & venit ad te, ut gaudeat de te. Hinc est ergo, Domine, quod non tantum diligo, quantum debeo; quia non plane cognosco te: sed quia parum cognosco, parum diligo; & quia parum diligo, parum in te gaudeo. Sed à te vero gaudio interiori per exteriora recedens, dum te solo careo, adulterinas amicitias in his exterioribus quæro. Et sic miser ego, cor meum, quod tibi soli debui toto amore totoque affectu impendere, vanis dedi: & ideo vanus effectus sum, dum vanitatem dilexi. Hinc etiam est, Domine, quod in te non gaudeo & tibi non adhæreo: quia ego in exterioribus, tu in interioribus: ego in temporalibus, tu in spiritualibus: ego in transitoriis animo diffundor, cogitatione versor, loquutione implicor, & tu Domine in æternis habitas, & æternitas es: Tu in cœlo, ego in terra: Tu diligis alta, ego infima: Tu cœlestia, ego terrestria. Et quando poterunt hæc contraria convenire?

CA-

CAPVT II.

De miseria & fragilitate hominis.

1. MIser ego, quando poterit obliquitas mea tuæ rectitudini adæquari? Tu Domine diligis solitudinem, ego multitudinem: tu silentium, ego clamorem: tu veritatem, ego vanitatem: tu munditiam, ego immunditiam sequor. Quid plura Domine? Tu vere bonus, ego malus: tu pius, ego impius: tu sanctus, ego miser: tu justus, ego injustus: Tu lux, ego cæcus: tu vita, ego mortuus: tu medicina, ego æger: tu gaudium, ego tristitia. Tu summa veritas, ego universa vanitas: ut omnis homo vivens. Heu quid igitur ô Creator dicam? Audi ô Creator. Creatura tua sum, jam perii: creatura tua sum, jam morior. Factura tua sum, jam ad nihilum redigor. Plasma tuum sum: Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me: manus inquam illæ, quæ affixæ clavis sunt pro me. Opus manuum tuarum Domine ne despicias; vulnera manuum tuarum precor ut aspicias. Ecce in manibus tuis Domine Deus descripsisti me. Lege ipsam scripturam, & salva me. En ad te suspiro creatura tua: Creator es, recrea me. En ad te clamo factura tua. vita es, vivifica me. En ad te respicio tuum plasma: Plasmator es, restaura me. Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei.

2. Quid est homo, ut possit alloqui Deum factorem suum? Parce mihi colloquenti tibi. Ignosce servo tuo, qui præsumit loqui tanto

Domino: Legem non habet neceſſitas. Dolor me compellit dicere: calamitas quam patior, cogit me exclamare: Ægrotus ſum, ad medicum clamo: cæcus ſum, ad lucem propero: mortuus ſum, ad vitam ſuſpiro. Tu es medicus, tu lux, tu vita: Ieſu Nazarene, miſerere mei, fili David miſerere mei. Fons miſericordiæ, audi, quid ad te clamat infirmus. Lux quæ tranſis, expecta cæcum, præbe ei manum, ut ad te veniat: & in lumine tuo videat lumen. Vita vivens, revoca mortuum. Quid ſum ego, qui loquor tecum? Væ mihi Domine, parce mihi Domine. Ego cadaver putridum, eſca vermium, vas fœtidum, cibus ignium. Quid ſum ego, qui loquor tecum? Væ mihi Domine, parce mihi Domine. Infœlix ego homo. Homo, inquam, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miſeriis: homo (inquam) vanitati ſimilis factus, comparatus jumentis inſipientibus, & jam ſimilis factus illis.

3. Quid iterum ego? Abyſſus tenebroſa, terra miſera; filius iræ, vas aptum in contumeliam: genitus per immunditiam, vivens in miſeria, moriturus in anguſtia. Heu miſer, quid ſum? quid futurus ſum? Vas ſterquilinii, concha putredinis, plenus fœtore & horrore: cæcus, pauper, nudus, plurimis neceſſitatibus ſubditus, & ignorans introitum & exitum meum, miſer & mortalis. Cujus dies ſicut umbra prætereunt, cujus vita ſicut umbra lunatica evaneſcit, ſicut flos in arbore creſcit, & ſtatim marceſcit, nunc floret, & ſta-

& ſtatim aret. Vita (inquam) mea, vita fragilis, vita caduca, vita quæ quanto magis creſcit, tanto magis decreſcit: quanto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit. Vita fallax & umbratica, plena laqueis mortis. Nunc gaudeo, ſtatim triſtor; nunc vigeo, ſæpe infirmor; nunc vivo, ſtatim morior; nunc felix appareo, ſemper miſer; nunc rideo, jam fleo. Sicque omnia mutabilitati ſubjacent, ut mihi vix una hora in uno ſtatu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc ſitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat. Subſequitur his importuna mors, quæ mille modis quotidie miſeros homines inopinate rapit. Hunc necat febribus, illum opprimit doloribus: hunc conſumit fames, illum ſitis extinguit: hunc ſuffocat aquis, illum interimit laqueo: illum perimit flammis, alium dentibus beſtiarum ferocium vorat: hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit, alterum tantum repentino terrore miſeram vitam finire compellit. Et nunc ſuper hæc omnia magna miſeria, quia cum nihil ſit certius morte, ignorat tamen homo finem ſuum. Et cum ſtare putat, colliditur, & perit ſpes ejus. Neſcit enim homo quando, vel ubi, vel quomodo morietur, & tamen certum eſt, quod eum mori oporteat.

4. Ecce, Domine, quam magna miſeria hominis, in qua ſum, nec timeo: quam grandis calamitas quam patior, nec doleo, & ad te non clamo. Clamabo, Domine, antequam tranſeam, ſi forte non tranſeam, ſed in te me-

neam. Dicam ergo, dicam miseriam meam: confitear, nec erubescam, ante te vilitatem meam. Adjuva me fortitudo mea, per quam sublevor: succurre virtus, per quam sustentor: veni lux, per quam video: appare gloria, per quam gaudeo: appare vita, in qua vivam, ô Domine Deus meus.

CAPVT III.

De admirabili lumine Dei.

1. O Lux quam videbat Tobias, quando oculis clausis docebat filium suum viam vitæ. Lux quam videbat Isaac interius, quando caligantibus oculis exterius filio futura narrabat. Lux (inquam) invisibilis, cui omnis abyssus humani cordis est visibilis. Lux quam Iacob videbat, quando sicut tu intus docebas, filiis exterius ventura prædicebat. Ecce tenebræ sunt super faciem abyssi mentis meæ, tu es lumen. Ecce caligo tenebrosa super aquas cordis mei, tu es veritas.

2. O Verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil! Verbum quod est ante omnia, & ante quod nihil. Verbum regens omnia, sine quo nihil sunt omnia. Verbum, quod dixisti in principio, fiat lux, & facta est lux. Dic etiam mihi, fiat lux, & facta sit lux; & videam lumen, & cognoscam quidquid non est lumen: quia sine te, mihi tenebræ lumen, & lumen tenebræ ponuntur. Et sic sine tua luce non est veritas. Adest error, adest vanitas; non est discretio, adest confusio: adest ignorantia, non est scientia: adest cæcitas, non est visio: adest invium, non est via: adest mors, non est vita.

CA-

CAPVT IV.

De mortalitate humanæ naturæ.

1. ECce Domine, quia lux non est, mors est: immo non est mors, quia nihil est mors. Nam per ipsam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et juste quidem hoc Domine: Nam digna factis recipimus, dum ad nihilum devenimus, tanquam aqua decurrens; quia sine te factum est nihil, & nos faciendo nihil, facti sumus nihil; quia sine te sumus nihil, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil. O Domine Verbum! O Deus Verbum, per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil! Væ mihi misero toties obcæcato; quia tu lux, & ego sine te! Væ mihi misero toties vulnerato; quia tu salus, & ego sine te! Væ mihi misero toties infatuato, quia tu es veritas, & ego sine te! Væ mihi misero toties aberrato, quia tu via, & ego sine te! Væ mihi misero toties mortuo, quia tu vita, & ego sine te! Væ mihi misero toties annihilato, quia tu es Verbum, per quod facta sunt omnia, & ego sine te, sine quo factum est nihil.

2. O Domine Verbum! ô Deus Verbum! qui es lux, per quem facta est lux, qui es via, veritas, & vita: in quo non sunt tenebræ, error, vanitas, neque mors. Lux, sine qua tenebræ; via, sine qua error; veritas sine qua vanitas; vita, sine qua mors. Dic verbum Domine, fiat lux, ut videam lucem, & vitem tene-

bras: videam viam, & vitem invium; videam veritatem, & vitem vanitatem; videam vitam, & vitem mortem. Illuminare Domine lux mea, illuminatio mea, & salus mea, quem timebo: Dominus meus, quem laudabo. Deus meus, quem honorabo: Pater meus, quem amabo: sponsus meus, cui me servabo. Illuminare (inquam) illuminare lux huic cæco tuo, qui in tenebris & in umbra mortis sedet, & dirige pedes ejus in viam pacis, per quam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis. Vera enim confessio est via per quam ingrediar ad te viam, per quam egrediar ab invio & revertar ad te viam, quia tu es vera via vitæ.

CAPVT V.

Quid sit nihil fieri.

1. COnfitear ergo, confitear tibi Pater Domine cæli & terræ, miseriam meam: ut me venire liceat ad misericordiam tuam. Miser quippe factus sum, & ad nihilum redactus sum, & nescivi: quia tu es veritas, & ego non eram tecum. Vulneraverunt me iniquitates meæ, & non dolui, quia tu es vita, & ego non eram tecum. Ad nihilum duxerunt me, quia tu es Verbum, & ego non eram tecum, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil: & ideo sine te factus sum nihil, quia nihil est, quod ad nihilum ducit. Omnia per Verbum facta sunt, quæcunque facta sunt. Et qualia facta sunt? Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde

valde bona. Omnia quæcunque facta sunt, per Verbum facta sunt: & quæcunque per Verbum facta sunt, valde bona sunt. Quare bona sunt? quia omnia per Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quia nihil bonum sine summo bono est. Sed malum est, ubi non est ullum bonum, quod utique nihil est: quia nihil aliud est malum, quam privatio boni; sicut nihil aliud est cæcitas, quam privatio luminis.

2. Malum itaque nihil est; quia sine Verbo factum est, sine quo factum est nihil. Illud autem malum est, quod privatur illo bono, per quod omnia facta sunt, quæcunque sunt. At quæ non sunt, per ipsum facta non sunt, & ideo nihil sunt. Et ideo mala sunt, quæ facta non sunt: quia omnia quæcunque facta sunt, per Verbum facta sunt; & omnia per Verbum bona facta sunt. Cum igitur omnia per Verbum facta sunt, mala per ipsum non sunt. Restat igitur, quod omnia, quæ facta non sunt, bona non sunt; quia omnia quæcunque facta sunt, bona sunt: & ideo mala sunt, quia facta non sunt: & ideo nihil sunt, quia sine Verbo factum est nihil. Malum igitur nihil est, quia factum non est. Sed qualiter malum est, si factum non est? Quia malum privatio boni est, per quod factum bonum est. Esse ergo sine Verbo, malum est; quod esse non est, quia sine ipso nihil est. Sed quid est separari à Verbo?

3. Si hoc quæris scire, audi, quid est Verbum. Verbum Dei dicit: Ego sum via,

veritas, & vita. Separari ergo à Verbo, est esse sine via, sine veritate, sine vita; & ideo sine ipso nihil, & ideo malum, quia separatur à Verbo, per quod omnia facta sunt valde bona. Separari autem à Verbo, per quod omnia facta sunt, nihil aliud est, quam deficere: & à facto transire in defectum; quia sine ipso est nihil. Quoties ergo à bono devias, à Verbo te separas, quia ipsum est bonum: & ideo nihil efficeris, quia sine Verbo es, sine quo factum est nihil. Nunc igitur Domine illuminasti me, ut viderem te; vidi, & cognovi me: quia toties nihil factus sum, quoties à te separatus sum; quia bonum, quod tu es, oblitus sum; & ideo malus effectus sum. Væ mihi misero, ut quid hoc non cognoscebam, quia te deserens nihil fiebam! Sed quid hoc quæro? Si nihil eram, quomodo cognoscere nolebam? Scimus quia malum nihil est: & quod nihil est, non est, & quod non est bonum, non est, quia nihil est. Si ergo nihil fui; cum sine te fui, quasi nihil fui, & velut idolum, quod nihil est. Quod quidem aures habet, & non audit: nares habet, & non odorat: oculos habet, & non videt: os habet, & non loquitur: manus habet, & non palpat: pedes habet, & non ambulat: & omnia lineamenta habet membrorum sine sensu eorum.

CAPVT

CAPVT VI.

De casu animæ in peccatis.

1. CVm igitur fui sine te, non fui, sed nihil fui, & ideo cæcus eram, surdus & insensibilis: qui nec bonum discernebam, nec malum fugiebam: nec dolorem vulnerum sentiebam, nec tenebras meas videbam, quia eram sine te vera luce, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Væ mihi! vulneraverunt me, & non dolui; traxerunt me, & non sensi; quia nihil eram, quia sine vita eram, quæ est Verbum, per quod facta sunt omnia. Ideo Domine lux mea, inimici mei de me fecerunt quæcunque voluerunt, percussérunt, nudaverunt, polluerunt, corruperunt, vulnerarunt, & occiderunt me: quia recessi à te & factus sum nihil sine te.

2. Heu Domine vita mea, qui feciſti me; lux mea, qui direxiſti me! Defensor vitæ meæ miserere mei, & resuscita me Domine Deus meus, spes mea, virtus mea, fortitudo mea, consolatio mea. In die tribulationis meæ, respice inimicos meos, & eripe me: fugiant à facie mea qui oderunt me, & ego vivam in te, per te. Ipsi enim Domine consideraverunt me: & videntes me sine te, despexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta virtutum, quibus ornaveras me: fecerunt sibi viam per me: sub pedibus suis conculcaverunt me: fæcibus peccatorum polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt me desolatum, & mœrore confectum. Ibam

post

post eos cæcus & nudus, & illaqueatus funibus peccatorum. Trahebant me post se in circuitu de vitio in vitium, & de luto in lutum, & ibam absque fortitudine ante faciem subsequentis. Servus eram, & servitutem amabam: cæcus eram, & cæcitatem desiderabam: vinctus eram, & vincula non horrebam. Amarum dulce, & dulce amarum credebam.

3. Miser eram, nec cognoscebam: & hoc quia sine Verbo eram, sine quo factum est nihil, per quod omnia conservantur, sine quo omnia annihilantur. Sicut enim omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; sic per ipsum omnia conservantur, quæcunque sunt sive in cœlo, sive in terra, sive in mari, & in omnibus abyssis. Nec pars parti in lapide adhæret, nec in aliquo creatorum: nisi quia per Verbum conservantur, per quod omnia facta sunt. Adhæream ergo tibi Verbo, ut conserves me; quia ubi à te recessi, perii in me: nisi quia tu, qui me feceras, refeciſti me. Ego peccavi, tu me visitasti: ego cecidi, tu me erexisti: ego ignoravi, tu me docuisti: ego non vidi, tu me illuminasti.

CAPVT VII.

De multiplicibus beneficiis Dei.

1. Miser ego, Deus meus, quantum teneor diligere te, ostende mihi; quantum debeo laudare te, demonstra mihi: quantum debeo placere tibi, innotesce mihi. Intona, Domine, desuper voce grandi & forti

in

in interiorem aurem cordis mei: doce me, & salva me: & collaudabo te, qui creasti me cum nihil essem; qui illuminasti me, cum in tenebris essem; qui resuscitasti me, cum mortuus essem; qui pavisti me à juventute mea omnibus bonis tuis. Hunc inutilem vermem, fœtentem peccatis, nutris omnibus optimis donis tuis.

2. Aperi mihi, ô clavis David qui aperis, & nemo claudit illi, cui tu aperis: claudis, & nemo aperit illi, cui tu claudis. Aperi mihi ostium luminis tui, ut ingrediar, & videam, & cognoscam, & confitear tibi in toto corde meo, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Domine Deus noster, quam admirabile & laudabile est nomen tuum in universa terra! Ecquid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Domine spes Sanctorum, & turris fortitudinis eorum. Deus vita animæ meæ, per quam vivo, sine qua morior. Lumen oculorum meorum, per quod video, sine quo orbor. Gaudium cordis mei & lætitia spiritus mei, diligam te toto corde meo, & toto animo meo, & totis medullis & visceribus meis, quia tu prior dilexisti me.

3. Et unde hoc mihi, ô Creator cœli & terræ, & abyssi, qui bonorum meorum non indiges, unde hoc mihi quod dilexisti me? O sapientia, quæ aperis os mutorum! ô Verbum, per quod facta sunt omnia: aperi os meum, da mihi vocem laudis, ut enarrem omnia beneficia tua; quæ mihi,

mihi, Domine, à principio contuliſti. Ecce enim ſum, quia tu creaſti me: & quod me creares, & in numero creaturarum tuarum numerares, ab æterno tu præordinaſti antequam quicquam faceres à principio, antequam extenderes cælos, necdum erant abyſſi: adhuc terram non feceras, nec montes fundaveras, necdum fontes eruperant: antequam hæc omnia quæ feciſti per Verbum faceres, me creaturam tuam fore, certiſſima veritatis tuæ providentia prævidiſti, & eſſe me creaturam tuam voluiſti.

4. Et hoc unde mihi, Domine benigniſſime, Deus altiſſime, pater miſericordiſſime, creator potentiſſime, & ſemper mitiſſime, quæ mea merita, quæ mea gratia, ut complaceret ante conſpectum tuæ magnificæ majeſtatis, creare me? Non eram, & creaſti me: nihil fueram, & de nihilo me aliquid feciſti. Quale autem aliquid? Non ſtillam aquæ, non ignem, non avem vel piſcem, non ſerpentem, vel aliquid ex brutis animalibus, non lapidem vel lignum; non ex eorum genere, quæ tantum habent eſſe; vel ex eorum, quæ tantum eſſe poſſunt, & creſcere; non ex eorum genere, quæ tantum eſſe & creſcere & ſentire poſſunt: ſed ſuper omnia hæc, voluiſti me eſſe ex his, quæ habent eſſe, quia ſum: & ex his, quæ habent eſſe & creſcere, quia ſum & creſco: & ex his quæ ſunt, creſcunt & ſentiunt: quia ſum, creſco, & ſentio. Et paulo minus parem me creaſti Angelis; quia rationem te cognoſcendi, cum ipſis à te communem accepi. Sed

paulo

paulo minus utique dixi. Nam illi tuam fœlicem notitiam jam habent per ſpeciem, ego autem per ſpem, illi facie ad faciem, ego per ſpeculum in ænigmate; illi plene, ego autem ex parte.

CAPVT VIII.

De dignitate hominis futura.

1. SEd cum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt, quando jam revelata facie, tuam faciem videbimus. Quid jam prohibebit nos non eſſe minores paulo minus ab Angelis, quos tu Domine corona ſpei, quæ ornata eſt gloria & honore, coronaveris: quos tu nimis, quaſi amicos tuos, honorificaveris: immo per omnia pares, & æquales Angelis? Nempe & hoc veritas tua dicit: Æquales ſunt Angelis, & filii Dei ſunt. Quidni filii Dei ſunt, ſi pares fiunt Angelis? Vere quidem erunt filii Dei, quia filius hominis factus eſt filius Dei. Hoc utique conſideranti mihi: fiducia eſt dicere: Non homo minor paulo minus eſt ab Angelis, non utique tantum æqualis Angelis, ſed ſuperior Angelis, quia homo Deus, & Deus homo, non Angelus.

2. Et dicam propter hoc, hominem eſſe creaturam digniſſimam, quia Verbum, quod erat in principio Deus apud Deum: Verbum, per quod Deus dixit: Fiat lux, & facta eſt lux, Angelica ſcilicet natura: Verbum, per quod Deus creavit omnia in principio; idem Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus. Ecce gloria,

ria, per quam glorior, quando sane glorior. Ecce gaudium, per quod gaudeo, quando sane gaudeo. Domine Deus meus, vita & tota gloria animæ meæ. Confiteor ergo tibi Domine Deus meus: cum me creasti rationis capacem: Angelis quodammodo parem creasti, quia perfici possum per Verbum tuum, ut veniam ad æqualitatem Angelorum, ut habeam adoptionem filiorum, per unigenitum Verbum tuum Domine; per filium tuum dilectum in quo tibi bene complacuit, per unicum cohæredem & consubstantialem tibi & coæternum Iesum Christum unicum Dominum redemptorem nostrum, illuminatorem & consolatorem nostrum, advocatum nostrum apud te, & lumen oculorum nostrorum, qui est vita nostra, & Salvator noster, & spes unica nostra, qui nos dilexit magis quam se, per quem habemus fiduciam repositam & firmam apud te spem, & accessum veniendi ad te, quoniam dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus.

3. Laudem tribuam nomini tui, Domine, qui me ad imaginem & similitudinem tuam creando, tantæ gloriæ fecisti me fore susceptibilem, ut possim filius Dei fieri. Hoc utique non possunt arbores, non possunt lapides, non generaliter omnia, quæ moventur vel crescunt in aëre, vel in mari, vel in terra; quia non dedit eis potestatem per Verbum suum filios Dei fieri, quia rationem non habent. Nam & hæc potestas in ratione consistit, per quam cognoscimus Deum:

Deum: dedit autem hanc potestatem hominibus, quos creavit rationabiles ad imaginem & similitudinem suam. Et ego utique, Domine, per tuam gratiam homo sum: & filius tuus esse possum per gratiam, quod illa non possunt.

4. Vnde hoc mihi, Domine, veritas summa, veraque summitas, principium omnium creaturarum? Vnde hoc mihi, Domine, ut possim fieri filius Dei, quod illa non possunt? Tu es, qui manes in æternum, qui omnia creasti simul. Simul creasti homines & jumenta, lapides & virentia terræ. Non enim præcesserunt merita, nulla eorum anteceſſit gratia: quia omnia tua tantum bonitate creasti: & pares omnes creaturæ fuere in meritis, quia omnium nulla fuere merita. Et unde ergo magis tua bonitas in hac creatura tua, quam feciſti rationalem, quam in omnibus aliis, quæ sunt sine ratione, apparuit? Quare non ego, sicut omnes illæ: aut cur non omnes illæ sicut ego, aut ego solus sicut illæ? Quæ mea merita, quæ mea gratia, ut me filium Dei posse fieri susceptibilem creares, quod illis omnibus denegares? Absit, Domine, ut hoc sentiam. Tua tantum gratia, tua tantum bonitas hoc fecit, ut essem particeps dulcedinis ejus. Illa igitur gratia, qua me de nihilo creasti, illam, quæso Domine, da mihi gratiam ut tibi de hoc referam gratiam.

CAPVT IX.

De omnipotentia Dei.

1. OMnipotens manus tua ſemper una & eadem creavit in cœlo Angelos & in terra vermiculos: non ſuperior in illis, non inferior in iſtis. Sicut enim nulla alia manus Angelum, ita nulla poſſet creare vermiculum. Sicut nulla cœlum, ita nulla poſſet creare minimum arboris folium: ſicut nulla corpus, ita nulla ullum capillum album poſſet facere, aut nigrum: ſed omnipotens manus tua, cui omnia pari modo ſunt poſſibilia.

2. Nec enim poſſibilius eſt ei creare vermiculum, quam Angelum; nec impoſſibilius extendere cœlum, quam folium; nec levius formare capillum, quam corpus; nec difficilius fundare terram ſuper aquam, quam aquas ſuper terram. Sed omnia, quæcunque voluit, fecit, ſicut voluit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis; & me inter omnia, ſicut voluit, potuit, & ſcivit. Potuit quidem manus tua Domine me lapidem, vel avem, vel ſerpentem, vel belluam aliquam creare, & ſcivit: ſed noluit propter ſuam bonitatem. Quare ergo ego non ſum lapis vel arbor, vel aliqua bellua? Quia ſic ordinavit bonitas tua: & ut hoc ordinaret, non præceſſerunt merita mea.

CAPVT

CAPVT X.

De incomprehensibili laude Dei.

1. VNde hoc mihi Domine, unde mihi laudes ad laudandum te? Sicut enim fecisti me sine me, sicut complacuit ante te; ita laus tibi est sine me, sicut complacet ante te. Ante te Domine laus tua tu ipse es. Laudent te opera tua secundum multitudinem magnitudinis tuæ; Laus tua Domine incomprehensibilis est: corde non comprehenditur, ore non mensuratur, aure non percipitur: quia ista transeunt, & laus tua Domine manet in æternum. Cogitatio incipit, & cogitatio finitur; vox sonat, vox transit; auris audit, & auditus desinit; laus vero tua in æternum stat.

2. Quis ergo est, qui te laudet? Quis homo annunciet laudem tuam? Laus tua perpetua est, transitoria non est. Hic te laudat, qui te ipsum laudem tuam credit. Hic te laudat, qui se ipsum noscit in tuam laudem non posse pertingere. Laus perpetua, quæ nunquam transit; in te est laus nostra, in te laudabitur anima mea. Non nos te laudamus, sed tu te, & per te, & in te: & nobis etiam est laus in te. Tunc veram habemus laudem, quando à te habemus laudem, quando lux approbat lucem: quia tu vera laus, tribuis veram laudem. Quoties autem ab alio quam à te quærimus laudem, toties tuam amittimus laudem: quia illa transitoria est, sed tua æterna. Si transitoriam quærimus, æternam amittimus laudem. Si æternam volumus, transito-

riam non amemus. Laus æterna Domine Deus meus; à quo omnis laus, ſine quo nulla eſt laus. Non valeo laudare te ſine te. Habeam te, & laudabo te. Quid enim ego ſum, Domine, per me, ut laudem te? Pulvis & cinis ego ſum, canis mortuus & fœtens ego ſum, vermis & putredo ego ſum. Quis ego ſum, ut laudem te, Domine Deus fortiſſime, ſpiritus univerſæ carnis, qui inhabitas æternitatem?

3. Nunquid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam? Tu lux, ego tenebræ: tu vita, ego mors. Nunquid vanitas veritatem laudabit? Tu es veritas, ego vero homo ſimilis factus vanitati. Quid ergo, Domine, laudabo te? Nunquid miſeria mea laudabit te? Nunquid fœtor laudabit odorem? Nunquid mortalitas hominis, quæ hodie eſt, & cras tollitur, laudabit te? Nunquid laudabit te homo putredo, & filius hominis vermis? Nunquid laudabit te, Domine, qui in peccatis conceptus eſt, & natus, & nutritus? Non eſt enim ſpecioſa laus in ore peccatoris. Laudet te, Domine Deus meus, incomprehenſibilis potentia tua, incircumſcriptibilis ſapientia tua, & ineffabilis bonitas tua. Laudet te ſupereminens clementia tua, ſuperabundans miſericordia tua, ſempiterna quoque virtus & divinitas tua. Laudet te omnipotentiſſima fortitudo tua, ſumma quoque benignitas & charitas tua, per quam creaſti nos, Domine Deus, vita animæ meæ.

CAPVT

CAPVT XI.

De ſpe erigenda ad Deum.

1. EGo autem creatura tua ſub umbra alarum tuarum ſperabo in bonitate tua, qua creaſti me. Adjuva creaturam tuam, quam creavit benignitas tua. Non pereat in malitia mea, quod operata eſt bonitas tua: non pereat in miſeria mea, quod fecit ſumma clementia tua. Quæ eſt enim utilitas in creatione tua, ſi deſcendam in corruptionem meam? Nunquid enim vane Deus conſtituiſti omnes filios hominum? Creaſti me, Domine, rege quod creaſti. Opera manuum tuarum ne deſpicias Deus. Me feciſti de nihilo: ſi me non regis, Domine, iterum revertar ad nihilum. Sicut enim, Domine, non eram, & de nihilo feciſti me; ſic ſi me non regis, adhuc ad nihilum redigar in me.

2. Adjuva me, Domine, vita mea, ne peream in malitia mea. Si non creaſſes me, Domine, non eſſem: quia creaſti me, jam ſum. Si non regis, jam non ſum. Non enim mea merita, non mea gratia te coëgerunt, ut creares me, ſed benigniſſima bonitas tua, & clementia tua. Illa charitas tua, Domine Deus meus, quæ te ad creationem coëgit, ipſa (quæſo) modo cogat te ad regendum. Quid enim prodeſt, quod te compulit charitas tua ad creandum, ſi peream in miſeria mea, & non me regat dextera tua? Hæc te cogat, Domine Deus meus, clementia, ad ſalvandum quod creatum eſt, quæ te compulit

creare quod creatum non est. Ipsa te vincat charitas ad salvandum, quæ te vicit ad creandum, quia nec nunc minor est, quia ipsa charitas tu ipse es, qui semper idem es: non est abbreviata manus tua, Domine, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris tua, ut non audiat; sed peccata mea divisérunt inter me & te, inter tenebras & lucem, inter imaginem mortis & vitam, inter vanitatem & veritatem, inter lunaticam hanc vitam meam, & sempiternam tuam.

CAPVT XII.

De laqueis concupiscentiarum.

1. HÆ sunt umbræ tenebrarum, quibus operior in hac abysso caliginosi carceris hujus: in qua prostratus jaceo, donec aspiret dies & inclinentur umbræ, fiatque lux in firmamento virtutis tuæ. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, dicat: Fiat lux, & effugentur tenebræ: & appareat arida, germinetque terra herbam virentem, & facientem semen & fructum bonum justitiæ regni tui. Domine Pater & Deus, vita, per quam omnia vivunt, & sine qua omnia mortua computantur, ne derelinquas me in cogitatu maligno, & extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi: auferà me concupiscentias, & animo irreverenti & infrunito ne tradas me; sed posside cor meum, ut te cogitet semper.

2. Illumina oculos meos, ut te videant, & non extollantur ante te gloria sempiterna: sed humiliter sentiant non in mirabilibus

bus ſuper ſe; & quæ à dexteris ſunt videant, & non quæ à ſiniſtris abs te. Et palpebræ tuæ præcedant greſſus meos; nam & palpebræ tuæ interrogant filios hominum. Allide concupiſcentiam meam dulcedine tua, quam abſcondiſti timentibus te; ut concupiſcam te concupiſcentiis ſempiternis: ne vanis illectus & deceptus interior guſtus, ponat amarum dulce, & dulce amarum, tenebras lucem, & lucem tenebras, ut liberari in medio tot decipularum poſſim ab inimico ſuper faciem viæ hujus poſitarum, ad capiendas animas peccatorum, quibus plenus eſt totus mundus. Quod is qui vidit, ſub ſilentio non tranſivit, inquiens: Quicquid enim eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.

3. Ecce Domine Deus meus, mundus totus plenus eſt concupiſcentiarum laqueis, quos paraverunt pedibus meis, & quis effugiet hos laqueos? Profecto à quo tu abſtuleris extollentiam oculorum ſuorum, ut non eum capiat concupiſcentia oculorum: & à quo tu abſtuleris carnis concupiſcentiam, ne eum capiat carnis concupiſcentia: & à quo tu abſtuleris animum irreverentem, & infrunitum, ne eum callide decipiat ſuperbia vitæ. O quam fœlix, cui hæc tu facies! quippe tranſibit immunis.

4. Nunc redemptor te precor per te, adjuva me, ne corruam in conſpectu adverſariorum meorum, captus laqueis eorum, quos paraverunt pedibus meis, ut incurvent animam meam. Sed erue me virtus ſalutis

meæ, ne sibi risum exhibeant de me inimici tui, qui oderunt te. Exurge, Domine Deus meus, fortis meus; & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua. Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie tua: & ego abscondar in abscondito faciei tuæ, & gaudeam cum filiis tuis, satiatus omnibus bonis tuis. Et tu, Domine Deus, pater orphanorum: & tu mater pupillorum tuorum, audi ejulatum filiorum tuorum: & extende alas tuas, ut fugiamus sub eas à facie inimici. Turris fortitudinis Israël, qui non dormitas neque dormis custodiens Israël: quia non dormit neque dormitat hostis, qui impugnat Israël.

CAPVT XIII.

De miseria hominis, & beneficiis Dei.

1. O Lux quam non videt alia lux, lumen quod non videt aliud lumen; Lux quæ obtenebrat omnem lucem, & lumen, quod excæcat omne extraneum lumen; Lux à qua omnis lux, lumen à quo omne lumen. Lumen ad quod omne lumen est tenebræ, ad quod omnis lux obscuritas; Lux cui omnes tenebræ lumen, cui omnis obscuritas lux; Lux suprema quam cæcitas non obnubilat: quam caligo non hebetat, quam tenebræ non obscurant, quam nulla obstantia claudit, quam nunquam separat aliqua umbra; Lux, quæ illuminas omnia tota simul, semel, & semper: absorbe me in claritatis abyssum, ut videam undique te in te, & me in te, & cuncta sub te. Ne derelinquas

quas me, ne accreſcant umbræ ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea. Sine te enim omnia ſunt mihi tenebræ, omnia mala; quia nihil bonum ſine te vero, ſolo, & ſummo bono.

2. Hoc confiteor, hoc ſcio, Domine Deus meus, quia ubicunque ſum ſine te, male eſt mihi præter te; non ſolum extra me, ſed etiam in me: quia omnis copia, quæ non eſt Deus meus, mihi eſt egeſtas. Satiabor tunc cum apparuerit gloria tua. Et tu, Domine, vita mea beata, fac ut miſeriam meam confitear tibi, ex quo ab unitate bonitatis tuæ, ſummo & uno bono, temporalium rerum multiformitas lapſum me per carnales ſenſus diſſipavit, & ab uno in multa diviſit, & facta eſt mihi abundantia laborioſa, & egeſtas copioſa: dum aliud & aliud ſequebar, & à nullo implebar: dum non in me inveniebam te incommutabile & ſingulare indiviſum unum bonum: quod conſecutus, non egeo: quod conſecutus, non doleo: quod poſſidens, ſatiatur totum deſiderium meum.

3. Heu miſeria ſuper miſeriam: cum miſera anima mea à te refugit, cum quo ſemper abundat & gaudet: & ſequitur mundum, cum quo ſemper eget & dolet. Mundus clamat, deficio: tu, Domine clamas, reficio; & miſeria mea prava magis ſequitur deficientem, quam reficientem. Plane infirmitas mea hæc eſt. Medice ſpirituum, ſana illam; ut confitear tibi, ſalus animæ meæ, toto corde meo ſuper omnibus beneficiis tuis,

quibus pascis me à juventute mea, & usque in senectam & senium. Te deprecor per teipsum, ne derelinquas me: fecisti me, cum non essem; redemisti me, cum perissem: perieram mortuus fueram; ad mortuum descendisti, mortalitatem suscepisti: ad servum Rex descendisti; ut servum redimeres, te ipsum tradidisti. Vt ego viverem, tu mortem suscepisti, mortem vicisti. Me instaurasti, cum te humiliasti.

4. Perieram, abieram, in peccatis venundatus eram: venisti pro me, ut redimeres me: & tantum me dilexisti, ut sanguinem tuum in pretium dares pro me: dilexisti me Domine plusquam te; quia mori voluisti pro me. Tali pacto, tam caro pretio, reduxisti me de exilio, redemisti me de servitio; retraxisti me de supplicio; vocasti me nomine tuo: signasti me sanguine tuo, ut memoriale tuum semper esset apud me, & nunquam recederet à corde meo qui pro me non recessit à cruce. Vnxisti me oleo tuo, quo tu unctus fuisti; ut à te Christo dicerer Christianus. En in manibus tuis descripsisti me, ut semper sit memoria apud te, si tamen memoria tua jugiter fuerit apud me. Sic igitur gratia tua semper & misericordia prævenerunt me. De multis namque & magnis periculis sæpe liberasti me, liberator meus. Quando erravi, ad viam reduxisti me: quando ignoravi, docuisti me: quando peccavi, corripuisti me: quando tristis fui, consolatus es me: quando desperavi, confortasti me: quando cecidi, erexisti me: quando steti, tenui-

tenuisti me: quando ivi, deduxisti me: quando veni, suscepisti me: quando dormivi, custodisti me: quando clamavi, exaudisti me.

CAPVT XIV.

Quod Deus perpetua inspectione considerat opera & intentiones hominum.

1. HÆc enim & multa alia beneficia fecisti mihi, Domine Deus meus, vita animæ meæ, de quibus dulce esset mihi semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere: ut possim te semper pro omnibus bonis tuis laudare, & amare te toto corde meo, & tota anima mea, & tota mente mea, & tota fortitudine mea, simul ex omnibus medullis & intimis cordis mei, & omnium compagum mearum. Beata dulcedo, Domine Deus meus, omnium qui delectantur in te. Sed imperfectum meum viderunt oculi tui. Oculi, inquam, tui multo lucidiores sunt Sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & in omni loco contemplantur semper bonos & malos.

2. Cum enim cunctis præsideas, singula implens, totus semper ubique præsens, cunctorumque curam agens, quæ creasti: quia nihil odisti eorum, quæ fecisti: sic gressus meos semitasque consideras, & die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans: Speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cæli & terræ oblitus, tantum me solum considereres, & nihil sit tibi curæ de aliis. Neque enim

enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantum unum aspicias, neque minuitur, si innumera videas & diversa. Quia sicut unum totum simul perfecte consideras, sic singula quælibet, licet diversa, perfecte simul totaque totus conspicit visus tuus. Sed sicut omnia, sic unum: & sicut unum, sic singula totus simul sine divisione vel commutatione, vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore sine tempore; totum me simul semperque consideras, ac si nihil aliud considerare debeas.

3. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, & mihi soli intendere velis. Semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum invenis. Quocunque iero, tu me, Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram. Vbicunque fuero, non recedis: quoniam ubique es, ut quocunque iero, inveniam te, per quem possim esse, ne peream sine te, cum sine te esse non possim. Fateor quidem, quia quicquid facio, & quæcunque facio, ante te facio: & illud quicquid est quod facio, melius tu vides, quam ego, qui facio. Quicquid enim semper operor, tu pariter semper præsens ades; utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum. Domine ante te semper est omne desiderium meum, ante te tota cogitatio mea.

4. Tu, Domine, vides unde veniat spiritus, ubi sit, & quo vadat; quia tu es omnium spi-

spirituum ponderator. Et utrum radix sit dulcis, an amara, de qua foris pulchra folia emittuntur, tu judex internus melius ipse nosti, & etiam medullas radicum subtilius perscrutaris. Et non solum intentionem, sed radicis ejus medullam intimam disertissima tuæ lucis veritate colligis, numeras, intueris, & consignas; ut reddas unicuique non solummodo secundum opera vel intentionem, sed etiam secundum ipsam interiorem absconditam medullam radicis, de qua procedit intentio operantis. Ad quod tendo, cum operor, quidquid cogito, & in quocunque delector, tu vides: aures tuæ audiunt, oculi tui vident & considerant: signas, attendis, notas, & scribis in libro tuo, sive bonum fuerit, sive malum: ut reddas postea pro bono præmia, pro malo supplicia: quando aperientur libri, & judicabuntur secundum hæc, quæ fuerunt scripta in libris tuis.

5. Hoc est forte, quod jam dixisti nobis: Considerabo novissima eorum. & quod de te, Domine, dicuntur: Vniversorum finem ipse considerat. quoniam tu quidem in omnibus quæ agimus, finem intentionis magis quam actum operationis, attendis. Cumque hæc diligentes considero, Domine Deus meus, terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor: quoniam nobis magna est indita necessitas juste rectequ vivendi, quia cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.

CAPVT

CAPVT XV.

Quod homo per se nihil potest sine divinâ gratia.

1. FOrtissime, magnipotens Deus spiritu tuum universæ carnis, cujus oculi sunt super omnes vias filiorum Adam, à die nativitatis eorum usque in diem exitus eorum, ut reddas unicuique secundum opera sua, bona vel mala; ostende mihi, ut confitear tibi paupertatem meam; quoniam dixi, quod dives essem, & nullius egerem: & nesciebam quoniam pauper eram, cæcus, nudus, miser, & miserabilis. Credebam enim me fore aliquid, cum nihil essem. Dixi, sapiens efficiar, & stultus factus sum. Cogitabam me esse prudentem, & deceptus sum: & video nunc, quia donum tuum est, sine quo nihil possumus facere: quia nisi tu, Domine custodieris civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Sic docuisti me, ut cognoscerem me: quia dereliquisti me, & probasti me, non propter te, quod cognoscerem me; sed propter me, ut cognoscerem me. Nam, ut dixi, Domine, credebam me aliquid fore ex me, existimabam me sufficere per me: nec percipiebam, quoniam tu regebas me: donec aliquantulum te elongasti à me, & cecidi statim in me: vidi & cognovi, quoniam tu regebas me: & quod cecidit, fuit ex me: & quod surrexi, ex te.

2. Aperuisti mihi oculos, lux, & excitasti & illuminasti me: vidi, quoniam tentatio est

est vita hominis super terram: & quod gloriari non valeat ante te omnis caro, nec justificabitur omnis vivens: quoniam si quid boni est, parvi vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est. Vnde igitur gloriabitur omnis caro? nunquid de malo? Hæc non est gloria, sed miseria. Sed nunquid gloriabitur de bono? nunquid de alieno? Tuum, Domine, est bonum, tua est gloria. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, hic fur est & latro: & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. Qui enim laudari vult de tuo dono, & non quærit in illo gloriam tuam, sed suam; hic, licet propter tuum donum laudetur ab hominibus, à te tamen vituperatur: quia de dono tuo, non tuam sed suam gloriam quæsivit. Qui autem ab hominibus laudatur, vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te, nec liberabitur condemnante te.

3. At tu, Domine, formator meus ab utero matris meæ; non me sinas cadere in illam exprobrationem, ut exprobretur mihi furari voluisse gloriam tuam: tibi enim sit gloria, cujus est omne bonum: nobis autem confusio faciei & miseria, quorum est omne malum, nisi tu volueris misereri. Misereris quippe, Domine, misereris omnium, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: & das nobis de bonis tuis, & ditas nos, Domine Deus, inopes optimis donis tuis. Quoniam diligis pauperes, & divites facis eos divitiis tuis. Ecce nunc, Domine, pauperes nos filii tui sumus,

sumus, & pusillus grex tuus: aperi nobis januas tuas, & edent pauperes & saturabuntur: & laudabunt te, qui requirunt te. Scio enim, Domine, & confiteor docente te; quoniam illi soli, qui cognoscunt se pauperes, & confitentur tibi paupertatem suam, ditabuntur à te; quoniam qui se divites existimant, cum sint pauperes, à tuis divitiis invenientur excluſi.

4. Ego igitur confiteor tibi, Domine Deus meus, paupertatem meam, ut sit tibi tua gloria tota, quoniam tuum est omne bonum per me gestum. Domine confiteor ut docuisti me, nihil aliud sum quam universa vanitas, & umbra mortis & abyssus quædam tenebrosa, & terra inanis & vacua, quæ sine tua benedictione non germinat; fructum quoque non facit, nisi confusionem, peccatum & mortem. Si quid boni unquam habui, à te recepi: quicquid boni habeo, tuum est, vel à te habeo. Si quando steti, per te steti; sed quando cecidi, per me cecidi; & semper in luto jacuissem, nisi tu me erexisses; semper cæcus fuissem, nisi tu me illuminasses. Quando cecidi, nunquam surrexissem, nisi tu mihi manum porrexisses: postquam me etiam erexisti, semper cecidissem, nisi tu me sustinuisses. Sæpius perissem, nisi me gubernasses.

5. Sic semper, Domine, sic semper gratia tua & misericordia tua prævenit me; liberans me ab omnibus malis, salvans à præteritis, suscitans à præsentibus, muniens à futuris; præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas;

causas: quia nisi tu hoc mihi fecisses, ego omnia peccata mundi fecissem. Quoniam scio, Domine, quod nullum peccatum est, quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si creator desit à quo factus est homo. Sed quod non facerem, tu fecisti; quod abstinerem, tu jussisti, & quod tibi crederem, gratiam tu infudisti. Tu namque, Domine, regebas me tibi, servabas me tibi: & mihi, ut adulterium & omne aliud peccatum non committerem, gratiam & lumen donasti.

CAPVT XVI.

De Diabolo, & multiplicibus tentationibus ejus.

1. TEntator defuit, & ut deesset, tu fecisti: locus & tempus defuit, & ut hæc deessent, tu fecisti. Affuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus: sed ut non consentirem, tu me tenuisti. Venit tentator tenebrosus, ut est: & ut eum despicerem, tu me confortasti. Venit tentator armatus & fortis: & ut me non vinceret, tu eum refrenasti, & me roborasti. Venit tentator transfiguratus in Angelum lucis, & ut me non deciperet, tu eum increpasti: & ut eum cognoscerem, tu me illuminasti. Ipse enim est draco ille magnus & rufus, & serpens antiquus, vocatus Diabolus & Satanas, habens capita septem, & cornua decem: quem creasti ad illudendum huic mari magno & spatioso, in quo reptant animalia, quorum non est numerus: & animalia pusilla & magna,

id est, diversa dæmonum genera, qui nihil aliud die noctuque operantur, nisi quod circumeunt, quærentes quem devorent, nisi tu eripias.

2. Ipse enim est antiquus ille draco, qui ortus est in paradiso voluptatis, qui cauda sua trahit tertiam partem stellarum cæli, & eas mittit in terram; qui veneno suo corrumpit aquas terræ, ut bibentes homines moriantur: & qui sternit sibi aurum quasi lutum, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os suum: qui factus est, ut nullum timeat. Et quis defendet à morsibus ejus? Quis eruet ab ore ejus, nisi tu Domine, qui confregisti capita draconis magni? Adjuva nos: Prætende Domine super nos alas tuas; ut fugiamus sub eis à facie draconis hujus, qui nos persequitur, & scuto tuo libera nos à cornibus ejus: Hoc enim continuum studium ejus, hoc unicum desiderium ejus, ut animas quas creasti, devoret.

3. Et ideo, Deus meus, ad te clamamus, libera nos ab adversario nostro quotidiano: qui sive dormiamus, sive vigilemus, sive comedamus, sive bibamus, sive quodcunque opus operemur omnibus modis, instat die ac nocte fraudibus & artibus, nunc palam, nunc occulte, sagittas venenatas contra nos dirigens, ut interficiat animas nostras. Et tamen, Domine, pessima insania nostra; quia cum continue videamus contra nos draconem ore aperto, paratum ad devorandum, nihilominus dormimus & lascivimus in pigritiis nostris, tanquam securi ante eum; qui nihil

aliud

aliud desiderat, quam ut nos perdat. Inimicus ut occidat, semper vigilat sine somno: & nos, ut custodiamus nos, nolumus evigilare à somno.

4. Ecce tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos, & omnes vias nostras variis replevit decipulis, ad capiendas animas nostras. Ecquis effugiet? Laqueos posuit in divitiis; laqueos posuit in paupertate; laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno & in vigilia; laqueos posuit in verbo & in opere, & in omni via nostra. Sed tu Domine libera nos de laqueo venantium, & à verbo aspero, ut confiteamur tibi, dicentes: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

CAPVT XVII.

Quod Deus est lux justorum.

1. ET tu quidem Domine, lux mea, illumina oculos meos, ut videam lumen, & ambulem in lumine tuo, & non impingam in laqueos ejus. Quis enim evadet laqueos istos multos, nisi videat eos? Et quis videbit eos, nisi quem illuminaveris lumine tuo? Ipse enim pater tenebrarum, laqueos suos abscondit in tenebris suis, ut capiantur in eis omnes qui sunt in tenebris suis; qui sunt filii tenebrarum harum, non videntes lumen tuum; in quo qui ambulat, non timebit. Qui enim ambulat in die, non offendit;

qui autem in nocte ambulat, offendit: quia lux non est in eo. Tu lux Domine, tu lux filiorum lucis; tu dies, qui nescis occasum, in qua ambulant filii tui sine offensione; & sine qua, omnes qui ambulant, in tenebris sunt, quia te lucem mundi non habent.

2. Ecce quotidie cernimus, quia quo magis à te vero lumine quis elongatur, eo magis peccatorum involvitur tenebris: & quo magis est in tenebris, eo minus videt laqueos in via sua, & ideo minus cognoscit, & idcirco sæpius rapitur, & cadit in eis; & quod est horribilius, etiam se cecidisse ignorat. Qui vero suum casum ignorat, eo minus curat surgere, quo magis se existimat adhuc stare. Tu vero lux mentis, Domine Deus meus, nunc illumina oculos meos, ut videam & cognoscam, ne corruam in conspectu adversariorum meorum. Etenim in exterminium nostri laborat inimicus noster, quem petimus ut facias liquefieri à facie nostra, sicut cera liquescit à facie ignis. Quoniam, Domine, ipse est latro primus, & ultimus, qui consilium fecit ut raperet gloriam tuam, quoniam inflatus & elatus crepuit, & cecidit in faciem suam, & dejecisti eum de monte sancto tuo, & de medio lapidum ignitorum, in quorum medio ambulavit.

3. Et nunc, vita mea, Domine Deus meus, ex quo cecidit, non cessat persequi filios tuos; & in odium tuum, ô Rex magne, cupit perdere hanc creaturam tuam, quam creavit omnipotens bonitas tua ad imaginem tuam; ut possideat gloriam tuam, quam ipse

ipse perdidit per superbiam suam. Sed contere eum fortis noster antequam nos agnos tuos devoret: & illumina nos, ut videamus laqueos, quos ipse paravit; & evadamus ad te, ô lætitia Israël. Et hæc omnia tu, Domine, melius nosti, qui nosti contentionem ejus, & cervicem ejus durissimam. Nec hoc dico ut ostendam tibi, quia omnia vides, & nulla te latet cogitatio: sed ante pedes tuæ majestatis, de inimico meo querimoniam facio, Iudex æterne; ut & ipsum damnes, & nos filios tuos salves, quorum fortitudo tu es.

4. Versutus est enim, Domine, iste hostis & tortuosus, nec facile deprehendi possunt circuitus viæ ejus, nec cognosci species vultus ejus, nisi tu illumines. Nam nunc hic, nunc illic: nunc agnum, nunc lupum, nunc tenebras, nunc lucem in se ostendit; & singulis quibuslibet qualitatibus, locis, & temporibus, secundum varias rerum mutationes, varias exhibet tentationes. Nam ut tristes decipiat, tristatur & ipse: ut gaudentes illudat, fingit se & ipse gaudere: ut spirituales defraudet, in Angelum lucis se transfigurat: ut fortes comprimat, apparet agnus: ut mites devoret, apparet lupus. Hæc quidem omnia secundum similitudinem variarum tentationum effici habent, ut terreat alios à timore nocturno, alios à sagitta volante in die, alios à negotio perambulante in tenebris, alios ab incursu; alios à dæmonio meridiano. Et ad hæc quis idoneus, ut cognoscat? & astutias ejus quis

cognovit? Quis revelabit speciem indumenti ejus? & gyrum dentium ejus quis agnoscet?

5. En abscondit sagittas suas in pharetra, & laqueos suos abscondit sub specie lucis; & hoc difficilius perpenditur: nisi à te Domine spes nostra lumen assumamus, ut videamus omnia. Nam non solum in carnis operibus, quæ de facili cognoscuntur; nec tantum in ipsis vitiis; sed in ipsis etiam spiritualibus exercitiis, laqueos abscondit subtiles: & sub virtutum colore ipsa vitia induit, & transmutat se in Angelum lucis. Hæc & multa alia nititur contra nos ipse filius Belial, ipse Sathan, Domine Deus noster. Et nunc ut leo, nunc ut draco, manifeste & occulte, intus & extra, die ac nocte insidiatur, ut rapiat animas nostras: Et tu eripe nos Domine, qui salvas sperantes in te; ut ipse de nobis doleat, & tu laudéris in nobis, Domine Deus noster.

CAPVT XVIII.

De beneficiis Dei.

1. EGo autem filius ancillæ tuæ, qui me commendavi manui tuæ, jam his meis pauperculis confessionibus confitear tibi, liberator meus, toto corde meo; & recolam ad mentem meam omnia bona, quæ feciſti mihi à juventute mea, in omni vita mea. Scio namque quod ingratitudo multum tibi displiceat: quæ est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans & urens omne bonum; obstruens fontem divinæ miseri-

misericordiæ tuæ super hominem ; qua & mortua jam non moriuntur, & viva jam opera moriuntur, & ultra non adipiscuntur. Et ego Domine gratias tibi agam, ne sim ingratus tibi, liberator meus, quoniam liberasti me. Quoties jam me absorbuerat ille draco, & tu Domine ab ore ejus extraxisti me.

2. Quoties ego peccavi, & ipse paratus fuit deglutire me; sed tu Domine Deus meus defendisti me. Cum contra te inique agebam, cum tua mandata frangebam, stabat ipse paratus ut me raperet ad infernum, sed tu prohibebas. Ego te offendebam, & tu me defendebas. Ego te non timebam, & tu me custodiebas. A te recedebam, & inimico meo me exhibebam: tu ipsum ne me acciperet, deterrebas. Hæc mihi tu, Domine Deus meus, beneficia conferebas, & ego miser non cognoscebam. Sic enim me multoties à faucibus diaboli liberasti, de ore leonis eripuisti, & ab inferno, licet nescientem, multis vicibus reduxisti. Descendi enim usque ad portas inferni, & ne illuc intrarem, tu me tenuisti.

3. Appropinquabam usque ad portas mortis, & ne me ipsæ caperent, tu fecisti. De morte etiam corporis sæpius eruisti me, Salvator meus, cum graves morbi tenerent me; cum fui in periculis multis per mare, per terras; ab igne & gladio, & ab omni periculo liberans, semper mihi astans, & misericorditer salvans. Sciebas tu quidem, Domine, quia si tunc mors me occupasset, infernus animam meam suscepisset, & perpetuo

damnatus fuiſſem. Sed tua miſericordia & tua gratia prævenit me, eripiens me de morte corporis, & de morte animæ, Domine Deus meus. Hæc & multa mihi tua alia beneficia exhibuiſti, & ego eram cæcus, & non cognovi, donec illuminaſti me. Nunc igitur lux animæ meæ, Domine Deus meus, vita mea, per quam vivo; lumen oculorum meorum, per quod video; en illuminaſti me, & cognoſco te: quia vivo per te, & gratias ago tibi, licet viles & exiles, & impares beneficiis tuis, quales habet mea fragilitas, offero. Quoniam tu es ſolus Deus meus, creator meus benignus, qui amas noſtras animas, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. En ego primus inter peccatores quos ſalvaſti, ut exemplum aliis tribuam benigniſſimæ pietatis tuæ.

4. Confitear tibi beneficia tua magna, quoniam eripuiſti me de inferno inferiori, ſemel, & ſecundo, & tertio, & centies, & millies; & ego ſemper ad infernum tendebam, & tu me ſemper reducebas, & juſte millies damnaſſes me, ſi voluiſſes. Noluiſti, quia amas animas, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Domine Deus meus, multæ miſericordiæ in omnibus viis tuis. Nunc ergo video hæc, Domine Deus meus, & cognoſco per lumen tuum, & deficit anima mea in miſericordia tua magna, quæ eſt ſuper me: quoniam eripuiſti animam meam ex inferno inferiori, & me ad vitam reduxiſti. Totus enim eram in morte, totum me reſuſcitaſti. Tuum igitur ſit totum id,

id, quod vivo : & totus totum me tibi offero. Totus ſpiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea dulcis : quoniam totum me liberaſti, ut totum me poſſideres : totum me refeciſti, ut totum me rehaberes. Diligam te igitur, Domine, virtus mea ; diligam te, ineffabilis exultatio mea : & vivam jam non mihi, ſed tibi. Tota vita mea, quæ perierat in miſeria mea, reſuſcitata eſt in miſericordia tua, qui es Deus miſericors & miſerator, & multæ miſericordiæ in millia his, qui diligunt nomen tuum.

5. Idcirco, Domine Deus meus, ſanctificator meus, juſſiſti in lege tua, ut diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea, & totis viribus meis, & etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis & momentis, quibus fruor bonis miſericordiæ tuæ; quoniam ſemper perirem, niſi quia ſemper regis me ; ſemper morerer, niſi quia ſemper me vivificas ; & omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præſtas. Sicut ergo nulla hora eſt vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar : ſic nullum debet eſſe momentum, quo te non habeam ante oculos, in mea memoria ; & te non diligam ex omni fortitudine mea. Sed nec hoc valeo, niſi tu dederis mihi : cujus eſt omne donum bonum, & omne datum optimum, deſcendens à Patre luminum ; apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Non enim eſt volentis, neque currentis, ſed tui miſe-

rentis, ut diligam te. Tuum est Domine hoc donum, cujus est omne bonum. Iubes te diligi; da quod jubes, & jube quod vis.

CAPVT XIX.

De fervore dilectionis vel charitatis.

1. AMo te Deus meus, magisque semper amare cupio; quia tu es revera omni melle dulcior, omni lacte nutribilior, & omni luce clarior. Idcirco super omne aurum & argentum, & lapidem precioſum es mihi charior. Displicebat enim mihi quicquid agebam in sæculo, præ dulcedine tua, & decore domus tuæ, quam dilexi. O ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris! O amor qui semper ferves, & nunquam tepescis, accende me! Accendar (inquam) totus à te, ut totus diligam te. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Diligam te Domine, quoniam tu prior dilexisti me. Et unde mihi verbum, ut explicem signa dilectionis tuæ maximæ erga me, propter innumera beneficia tua, quibus à principio educasti me?

2. Post beneficium nempe creationis, quando in principio de nihilo ad imaginem tuam creasti me: honorificans & exaltans me inter eas creaturas, quas feciſti, & nobilitans lumine vultus tui, quo signasti superliminare cordis mei, quo ab insensibilibus pariter & sensibilibus brutis discreviſti me, & paulo minus ab Angelis minuisti. Parum & hoc fuit ante conspectum divinitatis tuæ. Quoniam quotidianis & singularibus maximisque

misque donariis tuorum beneficiorum, me sine intermissione nutrivisti, & quasi filium tuum parvulum tenellum, uberibus tuæ consolationis lactasti & confortasti me. Vt enim tibi totus servirem, omnia quæcunque fecisti, in meum servitium tradidisti.

CAPVT XX.

Quod Deus subjecit omnia servituti hominum.

1. OMnia pedibus hominis subjecisti, ut solus homo totus tibi subjiceretur. Et ut tuus totus homo esset, super omnia opera tua dominatus est homo. Exteriora nempe pro corpore cuncta creasti; ipsum vero corpus pro anima, animam vero pro te: ut tibi soli vacaret, & te solum amaret; possidens te ad solatium, inferiora vero ad servitium. Quicquid enim cœli ambitu continetur, inferius ab anima humana est, quæ facta est, ut summum bonum superius posslideret, cujus possessione beata fieret: cui si adhæserit, cunctorum mutabilium inferiorum necessitudines supergrediens, illius summæ majestatis, cujus æmulatur speciem, æternæ immortalitatis faciem cum serenitate videbit. Tunc vero illis bonis optimis fruetur in domo Domini, quorum comparatione cuncta hæc quæ hic cernimus, velut nihilum computantur. Illa sunt, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Et hæc quidem Domine

mine daturus es animæ. His etiam quotidie lætificas animas servorum tuorum, qui amas animas.

2. Quid miror hæc, Domine Deus meus? Imaginem quippe tuam honorificas, & similitudinem tuam, ad quam creatæ sunt. Nam & corpori nostro, licet adhuc corruptibili & ignobili, ut videret, dedisti cæli claritatem per manum ministrorum tuorum indefessorum Solis & Lunæ, qui præcepto tuo jugiter die ac nocte deserviunt filiis tuis: ut spiraret, largitus es aëris puritatem; ut audiret, sonorum varietates; ut odoraret, odorum suavitates; ut gustaret, saporum qualitates; ut contrectaret, dedisti corpulentorum omnium grossitates. Adjuvamenta suis necessitatibus dedisti jumenta: volucres quoque cæli, & pisces maris, & fructus terræ ad reficiendum impendisti. Medicinas de terra propter singulas quasque suas corruptelas creasti. Singula solatio singulis malis obviantia præparasti, quoniam es misericors & miserator; & novisti figmentum nostrum, figulus noster, & nos omnes quasi lutum in manu tua.

CAPVT XXI.

Quod ex consideratione bonorum temporalium, colligitur magnitudo cœlestis consilii.

1. EN aperiatur mihi misericordia tua magna, lumine tuo illustra (quæso) magis adhuc, ut mihi magis aperiatur. Nam ex his minimis tua magna, & ex his visibilibus,

bus, tua invisibilia comprehendimus, Domine Deus sancte, & bone creator noster. Si enim, mi Domine, pro hoc corpore ignobili & corruptibili, tam magna & innumera beneficia præstas à cœlo & ab aëre, à terra & mari, à luce & tenebris, à calore & umbra, rore & imbre, ventis & pluviis, volucribus & piscibus, bestiis & arboribus, & multiplicitate herbarum & germinum terræ, & cunctarum creaturarum tuarum ministerio, nobis successive per sua tempora ministrantium, ut alleves fastidium nostrum; qualia, quæso, & quam magna & innumerabilia erunt illa bona, quæ præparasti diligentibus te in illa cœlesti patria, ubi te videbimus facie ad faciem? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio?

2. Magna & innumerabilia sunt opera tua Domine, rex cælorum. Cum enim sint hæc omnia valde bona & delectabilia, quæ bonis pariter malisque communia tradidisti: qualia futura sunt illa, quæ solis bonis recondidisti? Si tam innumera & varia dona tua, quæ nunc amicis pariter tribuis, & inimicis: quam magna & innumerabilia, quam dulcia & delectabilia, quæ solis tuis es largiturus amicis? Si tanta solatia in hac die lachrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? Si tanta delectabilia continet carcer, quanta quæso continet patria? Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te. Secundum enim magnam multitudinem magnificentiæ tuæ est etiam mul-

multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te.

3. Magnus enim tu es, Domine Deus meus, & immensus; nec est finis magnitudinis tuæ, nec est numerus sapientiæ tuæ, nec est mensura benignitatis tuæ, nec est finis, nec numerus, nec mensura retributionis tuæ: sed sicut magnus es tu, ita magna sunt donaria tua: quoniam tu ipse es præmium, & donum omnium legitimorum tuorum pugnatorum.

CAPVT XXII.

Quod divina dulcedo omnem præsentem mundi amaritudinem tollit.

1. HÆc sunt beneficia magna tua, Domine Deus, sanctificator sanctorum tuorum, quibus repleturus es inopiam esurientium filiorum tuorum. Quoniam tu es spes desperatorum. Tu corona spei quæ ornata est gloria, præparata vincentibus. Tu famelicorum satietas æterna, danda esurientibus. Tu consolatio sempiterna, qui solis illis te tribuis, qui consolationem hujus mundi pro tua perpetua consolatione contemnunt. Nam qui hic consolantur, indigni tua consolatione habentur. Sed qui hic cruciantur, à te consolantur: & qui participant passionibus, participant & consolationibus. Nemo enim potest in utroque sæculo consolari; nec potest quis hic & in futuro gaudere: sed unum necesse est ut perdat, qui alterum voluerit possidere.

2. Hæc

2. Hæc ubi considero, Domine consolator meus, in hac vita renuit consolari anima mea, ut digna habeatur tuis consolationibus æternis; quia justum est, ut amittat te, quicunque in aliquo alio magis consolari eligit, quam in te. Et obsecro summa veritas te per te, non permittas me in aliqua consolatione vana consolari. Sed peto ut omnia mihi amarescant; ut tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæstimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur.

3. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit. Tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit. Præ tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem, & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc tua dulcedo ipsos Apostolorum principes sic replevit, ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret: alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Ioannes potavit. Hanc vero ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quasi ebrius, dicens: Domine, bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula: hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus. Sufficit nobis Domine videre te, sufficit (inquit) tanta dulcedine satiari. Vnam enim stillam

ſtillam dulcedinis ille guſtavit, & omnem aliam faſtidivit dulcedinem. Quid, putas dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis divinitatis tuæ guſtaſſet, quam abſcondiſti timentibus te? Hanc tuam dulcedinem ineffabilem & illa guſtaverat virgo, de qua legimus, quod lætiſſima & glorianter ibat ad carcerem, quaſi ad epulas invitata. Hanc ut reor & ipſe guſtaverat, qui dicebat: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Quique monebat: Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Hæc eſt enim illa beatitudo, Domine Deus noſter, quam expectamus daturum te nobis, pro qua tibi Domine continue militamus: pro qua tibi mortificamur tota die, ut in tua vita tibi vivamus.

CAPVT XXIII.

Quod tota ſpes noſtra, & deſiderium cordis noſtri debeat eſſe in Deum.

1. TV autem Domine expectatio Iſrael, deſiderium ad quod ſuſpirat cor noſtrum quotidie, feſtina; ne tardaveris. Surge, propera, & veni; ut educas nos de iſto carcere ad confitendum nomini tuo, ut gloriemur in lumine tuo. Aperi aures tuas clamoribus lachrymarum pupillorum tuorum, qui clamant ad te: Pater noſter, da nobis hodie panem noſtrum quotidianum; in cujus fortitudine ambulemus die ac nocte, uſquequo perveniamus ad montem ſanctum tuum Oreb. Et ego parvulus inter parvulos familiæ

liæ tuæ, Deus Pater & virtus mea: quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? ut qui nunc tibi confiteor ad tempus, ex tunc confitear tibi in æternum. Beatus ero, si fuero admissus ad videndum claritatem tuam. Quis mihi hoc tribuat, ut ad hoc venire permittas me?

2. Scio Domine, scio, & confiteor me indignum, ut intrem sub tectum tuum; sed fac propter honorem tuum, & ne confundas in te sperantem servum tuum. Et quis intrabit sanctuarium tuum, ad considerandas potentias tuas, nisi, si tu aperias? Quis autem aperiet, si tu clauseris? Si enim destruxeris, nemo est qui ædificet. Et si incluseris hominem, nemo est qui aperiat. Si continueris aquas, omnia siccabuntur. Et si miseris eas, subvertent terram. Si omnia quæ feciſti ad nihilum redigas, quis contradicet tibi? Porro sempiterna bonitas misericordiæ tuæ, qua feciſti omnia quæcunque voluisti. Tu nos feciſti; fabricator mundi, rege nos. Tu nos creasti; ne spernas nos, qui opera tua sumus. Et quidem Domine Deus noster, nos lutum & vermiculi, non valemus in tuas æternitates intrare, nisi tu induxeris, qui de nihilo cuncta creasti.

CAPVT XXIV.

Quod salus nostra ex Deo est.

1. EGo autem opus manuum tuarum, confitebor tibi in timore tuo, quia

non in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Alioquin desperarem, quoniam spes mea tu es, qui creasti me, quoniam non derelinquis sperantes in te. Tu quippe es Domine Deus noster, suavis & patiens in misericordia disponens omnia. Nam si peccaverimus, tui sumus: si non peccaverimus, tui sumus; quoniam apud te sumus computati. Nos enim folium universi, & vanitas est omnis homo vivens, & ventus est vita nostra super terram. Ne irascaris, si cadimus pupilli tui, quoniam tu nosti figmentum nostrum, Domine Deus noster.

2. Num Deus inæstimabilis fortitudinis, contra folium quod à vento rapitur, ostendere vis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris? Num damnabis, Rex Israel æterne, canem unum? Num damnabis pulicem unum? Audivimus de misericordia tua Domine, quoniam tu mortem non facis, nec lætaris in perditione morientium. Propter hoc Domine oramus te, ne permittas dominari quod non feciſti, huic creaturæ tuæ, quam feciſti. Si enim doles de perditione, quid te prohibet Domine, qui omnia potes, ne semper læteris de nostra salvatione? Si vis, potes me salvare; ego autem, etsi vellem, non possem. Magna est multitudo miseriarum mearum mecum.

3. Velle quippe mihi adjacet, perficere autem non invenio. Velle quod bonum est non possum, nisi tu velis; nec quod volo possum,

possum, nisi tua potentia me confortet, & quod possum, aliquando nolo, nisi tua voluntas fiat sicut in cœlo & in terra. Et quod volo, & possum, ignoro, nisi tua sapientia me illustret. Et si etiam sciam; quandoque volens, quandoque valens, imperfecta & vacua transit sapientia mea, nisi adjuvet vera sapientia tua.

4. In tua autem voluntate cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, Domine universorum, principatum tenens omnis carnis; & quæcunque vis, facis, in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. In nobis igitur fiat voluntas tua, super quibus invocatum est nomen tuum: ne pereat hoc nobile plasma tuum, quod creasti propter honorem tuum. Et quis est homo natus de muliere, qui vivat & non videat mortem, & eripiat animam suam de manu inferni? nisi tu solus eripias, vita vitalis omnis vitæ, per quem omnia vivunt.

CAPVT XXV.

Quod voluntas humana inefficax sit ad bona opera, sine divina gratia.

1. ET enim jam jam tibi confessus sum, laus vitæ meæ, Domine Deus meus, virtus salutis meæ. Sperabam aliquando in virtute mea, quæ tamen non erat virtus. Et cum sic volui currere, ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi, factusque sum magis retro, & non ante: & quod credebam consequi, magis elongatum est à me. Sic per multa similia vires meas probas. Cognosco

nunc quia illuminasti me, quoniam quod magis credidi posse per me, minus semper potui. Dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam; nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas; ad erat facultas, non aderat voluntas: quoniam de meis viribus confidebam,

2. Nunc autem confitebor tibi Domine Deus meus, Pater cæli & terræ, quia non fortitudine sua roborabitur vir, ut glorietur ante te stulta præsumptio omnis carnis. Non enim est hominis, velle quod possit; aut posse quod velit, vel scire quod velit, & possit: sed potius à te gressus hominis diriguntur, illorum (inquam) qui non à se, sed à te dirigi se confitentur. Obsecramus itaque per viscera misericordiæ tuæ, ut velis Domine salvare quod creasti: quoniam si vis, potes nos salvare: & in tua voluntate virtus est nostræ salutis.

CAPVT XXVI.

De antiquis beneficiis Dei.

1. REcordare misericordiæ tuæ antiquæ, qua nos à principio in benedictionibus tuæ dulcedinis prævenisti. Antequam enim nascerer ego, filius ancillæ tuæ, Domine spes mea ab uberibus matris meæ, tu prævenisti; præparans mihi semitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam domus tuæ. Priusquam me formares in utero, novisti me: & antequam exirem de vulva, quicquid tibi placuit, præordinasti de me. Quæ & qualia sunt in libro tuo scripta de me, in secreto

creto consistorii tui, ego quidem ignoro, unde & valde timeo.

2. Tu vero nosti, quoniam quod ego per successus dierum & temporum hinc ad mille annos hujus temporalitatis expecto, in conspectu æternitatis tuæ jam factum est; & quod futurum est, jam factum est. Ego autem quia sto in hac nocte tenebrosa hæc ignorans, timor & tremor venerunt super me: dum video mihi undique imminere multa pericula, à multis quoque hostibus venari, multitudineque innumerarum miseriarum in hac vita me circundari. Et nisi in his tantis malis adforet mihi tuum adminiculum, desperarem.

3. Sed spes mihi magna subest de te, mitissime Princeps, Deus meus: & consideratio multitudinis miserationum tuarum, quæ apud te sunt, sublevat mentem meam. Et præcedentia signa misericordiæ tuæ, quæ me antequam nascerer, prævenerunt, & nunc specialiter in me effulserunt, de futuris benignitatis tuæ melioribus & perfectioribus muneribus, quæ amicis tuis reservas, spem meam admonent; ut in te lætetur, Domine Deus meus, lætitia sancta & viva, qua semper lætificas juventutem meam.

CAPVT XXVII.

De Angelis deputatis ad custodiam hominum.

1. Dilexisti enim me, unice amor meus, antequam diligerem te, & ad imaginem tuam creasti me, omnibus creatu-

ris tuis præposuisti me. Quam dignitatem nunc quidem servo, cum noverim te, propter quem feciſti me.

2. Insuper facis Angelos tuos spiritus propter me: quibus mandasti, ut custodiant me in omnibus viis meis: ne forte offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes, super muros civitatis tuæ novæ Hierusalem, & montes in circuitu ejus: vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem tuum: ne quando rapiat ut leo animas nostras, dum non esset qui eriperet, ille antiquus serpens adversarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens semper circumit, quærens quem devoret. Hi sunt cives beatæ civitatis supernæ Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: ut eos liberent ab inimicis suis: & custodiant in omnibus viis suis, confortent quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant, in conspectu gloriæ majestatis tuæ.

3. Diligunt nempe concives suos, per quos suæ ruinæ sciſſuras restaurari expectant. Ideoque magna cura, & vigilanti studio, adsunt nobis: omnibus horis & locis succurrentes, & providentes necessitatibus nostris, & soliciti discurrentes inter nos & te Domine: gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus viis nostris;

noſtris ; intrant & exeunt nobiſcum : attente conſiderantes , quam pie , quam honeſte in medio pravæ nationis converſemur : quantoque ſtudio & deſiderio quæramus regnum tuum , & juſtitiam ejus ; quantoque timore & tremore ſerviamus , & exultemus tibi in lætitia cordis noſtri. Adjuvant laborantes , protegunt quieſcentes , hortantur pugnantes, coronant vincentes ; congaudent gaudentibus , de te (inquam) gaudentibus ; compatiuntur patientibus , pro te (inquam) patientibus.

4. Grandis eſt eis cura de nobis : magnus eſt affectus dilectionis eorum erga nos : & hoc totum propter honorem tuæ inæſtimabilis charitatis , qua dilexiſti nos. Diligunt enim quos tu diligis ; cuſtodiunt quos tu cuſtodis : & deſerunt quos tu deſeris ; nec diligunt operantes iniquitatem ; quoniam & tu odiſti omnes operantes iniquitatem , & perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus , gaudent Angeli , & triſtantur dæmones. Quoties à bono deviamus, diabolum lætificamus, & Angelos tuos ſuo gaudio defraudamus. Gaudium eſt enim eis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente ; ſed diabolo , ſuper uno juſto pœnitentiam deſerente. Da igitur , da Pater eis ſemper gaudere de nobis, ut & tu ſemper per eos lauderis in nobis ; & nos cum eis in unum ovile tuum adducamur , ut confiteamur ſimul nomini ſancto tuo , creator hominum & Angelorum.

5. Hæc ipſe commemorans , coram te

confiteor, laudans te : quoniam beneficia tua magna sunt hæc, quibus nos honorificasti ; dans nobis Angelos tuos spiritus in ministerium nostrum. Dederas enim quidquid cœli ambitu continetur ; & quasi parva reputas hæc quæ sub cœlo sunt, nisi dares etiam ea, quæ sunt super cœlos. Laudent te, Domine, de hoc omnes Angeli tui ; confiteantur tibi de hoc omnia opera tua ; & ipsi sancti tui tibi benedicant. O honorificentia nostra, nos nimis honorificans, ditans, multis muneribus decorasti ! admirabile est enim nomen tuum, Domine, in universa terra. Quid est enim homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum ? Dixisti enim, veritas antiqua : Delitiæ meæ sunt cum filiis hominum. Nonne homo putredo, & filius hominis vermis ? Nonne universa vanitas omnis homo vivens ? Et dignum ducis super hujusce-modi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium.

CAPVT XXVIII.

De profunda prædestinatione, & præscientia Dei.

1. DOce me abyssus profundissima, creatrix sapientia, quæ librasti in pondere montes & colles, in statera molem terræ tribus digitis appendisti. Suspende molem corporalitatis hujus quam gero, tribus invisis digitis tuis ad te, ut videam & cognoscam quam admirabilis es in universa terra. Lux antiquissima, quæ lucebas ante omnem lucem.

lucem, in montibus sanctis æternitatis antiquæ; cui nuda & aperta erant omnia antequam fierent: Lux quæ odio habes omnem maculam, utpote mundissima & immaculatissima, quæ tibi deliciæ cum homine? quæ conventio lucis ad tenebras? Vbi enim sunt in homine deliciæ tuæ? Vbi præparasti tibi in me dignum sanctuarium majestatis tuæ, ad quod introiens habeas delicias delectationis tuæ? Mundum enim cænaculum decet te mundans virtus, quæ non nisi à mundis cordibus videri potes, multo magis nec haberi.

2. In homine autem ubi est templum tam mundum, ut te suscipiat, qui regis mundum? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es mundus? Ab immundo enim quis mundabitur? Nam & secundum legem, quam dedisti patribus nostris in igne comburenti montem, & in nube tegente aquam tenebrosam? quicquid tetigerit immundus, immundum erit. Omnes autem nos quasi pannus menstruatæ, de massa corrupta & immunda venientes, maculam immunditiæ nostræ, quam celare, præsertim tibi, qui omnia vides, non possumus, in frontibus portamus. Quare mundi esse non possumus; nisi tu mundaveris, qui solus es mundus. Mundas autem de nobis, filiis hominum, eos in quibus tibi complacuit habitare; quos ab inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiæ tuæ semper justorum, licet occulto-

rum, sine eorum meritis prædestinasti ante mundum; vocasti de mundo, justificasti in mundo, & magnificas eos post mundum. Non omnibus autem hoc facis, quod admirantur tabescentes omnes sapientes terræ.

3. Et ego Domine hoc considerans expaveſco, & obstupeſco de altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ tuæ; ad quam ego non pertingo: & incomprehensibilia judicia justitiæ tuæ, quoniam ex eodem luto, alia quidem facis vasa in honorem, alia vero in contumeliam sempiternam. Quos igitur tibi elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundas, effundens super eos aquam mundam, quorum nomina numerumque tu nosti: qui solus numeras multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina donas: qui etiam scripti sunt in libro vitæ: qui nequaquam perire possunt; quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata. Cum enim cadunt, non colliduntur quia tu supponis manum tuam: custodiens omnia ossa eorum, ut unum ex eis non conteratur.

4. Attamen mors peccatorum pessima; illorum, inquam, quos antequam faceres cœlum & terram, secundum abyssum multam judiciorum tuorum occultorum, semper autem justorum, præsciviſti ad mortem æternam; quorum dinumeratio nominum & meritorum pravorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, & dimensus es profundum abyssi: quos reliquisti in immunditiis suis; quibus omnia cooperantur in

in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum; ut si etiam usque ad cælos ascenderint, & caput eorum nubes tetigerit, & inter sydera cœli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinium in fine perdentur.

CAPVT XXIX.

De illis, qui prius sunt justi, & postea impii efficiuntur, & è converso.

1. MAgna sunt hæc judicia tua, Domine Deus, judex juste & fortis; qui judicas æquitatem, & inscrutabilia facis & profunda: quæ cum considero, contremiscunt omnia ossa mea. Quoniam non securatur homo vivens super terram, ut serviamus tibi pie & caste cunctis diebus vitæ nostræ, in timore, & exultemus tibi cum tremore: ut non sit servitium sine timore, neque gaudium sine tremore; & non glorietur accinctus æque, ut discinctus; neque glorietur ante te omnis caro, sed pavescat & contremiscat à facie tua: cum ignoret homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed in futurum omnia reservantur incerta.

2. Vidimus enim multos, Domine, & audivimus à patribus nostris (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor) ascendisse primitus quodammodo usque ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus, stellas de cœlo cecidisse, ab impetu ferientis caudæ draconis: & eos, qui jacebant in pulvere

vere terræ, à facie ſublevantis manus tuæ, Domine, mirabiliter adſcendiſſe. Vidimus vivos, morientes, & mortuos à morte ſurgentes: & eos, qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe. Vidimus lucem obtenebraſſe, & de tenebris lucem proceſſiſſe: quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regno cœlorum; filii autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores.

3. Quare autem iſta omnia, niſi quia in montem illum aſcenderunt, in quem primus aſcendit Angelus, & deſcendit diabolus? Quos autem prædeſtinaſti, ipſos & vocaſti, & ſanctificaſti, & mundaſti, ut dignum habitaculum ſint tuæ majeſtatis: cum quibus & in quibus ſint tibi delitiæ ſanctæ & mundæ, in quibus tu delectaris, & lætificas juventutem eorum: habitans cum eis in memoria eorum, ut ipſi templum ſanctum tuum ſint, quod magnæ dignitatis, & commendatio eſt humanitatis noſtræ.

CAPVT XXX.

Quod Anima fidelis ſit ſanctuarium Dei.

1. ANima enim, quam creaſti, non de te, ſed per verbum tuum, non ex qualibet elementorum materia, ſed ex nihilo; quæ quidem rationalis, intellectualis, ſpiritualis ſemper vivens, ſemper in motu; (quam ſignaſti lumine vultus tui, & conſecraſti virtute lavacri tui;) ita facta eſt capax majeſtatis tuæ, quod à te ſolo & à nullo alio poſſit impleri. Quando autem te habet, plenum eſt

est desiderium ejus; & jam nihil aliud quod desideretur exterius restat. Dum autem aliquid exterius desiderat, manifestum est quod te non habet interius; quo habito, nihil est quod ultra desideret.

2. Cum enim sis summum & omne bonum, non habet quod desideret amplius, sed possidet te omne bonum. Quod si non desiderat omne bonum, restat ut desideret aliquod quid non est omne bonum, ergo nec summum bonum: ergo nec Deum, sed potius creaturam. Cum autem creaturam desiderat, continuam famem habet; quia licet, quod desiderat de creaturis adipiscatur, vacua tamen remanet: quia nihil est, quod eam impleat, nisi tu, ad cujus imaginem est creata. Imples autem tu eos, qui nihil aliud desiderant præter te, & facis eos dignos te, sanctos, beatos, immaculatos, & amicos Dei; qui omnia reputant ut stercora, ut lucrifaciant te solum.

3. Hæc est enim beatitudo, quam homini contulisti. Hic est honor, quo eum inter omnes creaturas & super omnes honorificasti, ut sit admirabile nomen tuum in universa terra. Ecce Domine Deus meus, summe, optime, omnipotentissime, inveni locum ubi tu habitas, quia in anima, quam creasti ad imaginem & similitudinem tuam, quæ te solum quærit & desiderat: quia non in illa, quæ te non quærit nec desiderat.

CA-

CAPVT XXXI.

Quod neque per sensus exteriores, neque interiores inveniri potest Deus.

1. EGo erravi sicut ovis quæ perierat, quærens te exterius, qui es interius. Et multum laboravi quærens te extra me: & tu habitas in me, si tamen ego desiderem te. Circuivi vicos & plateas civitatis hujus mundi, quærens te, & non inveni: quia male quærebam foris, quod erat intus. Misi nuncios meos, omnes sensus exteriores; ut quærerem te, & non inveni; quia male quærebam. Video enim lux mea Deus, qui illuminasti me, quia male te per illos quærebam; quia tu es intus: & tamen ipsi, ubi intraveris, nesciverunt.

2. Nam oculi dicunt, si coloratus non fuit, per nos non intravit. Aures dicunt, si sonitum non fecit, per nos non transivit. Nasus dicit, si non oluit, per me non venit. Gustus dicit, si non sapuit, per me non introivit. Tactus etiam addit, si corpulentus non est, nihil me de hac re interroges. Non ista igitur sunt in te, Deus meus. Non enim speciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis, non colorem, non dulcium melodiarum cantus, & quæcunque dulce sonantia; non florum & unguentorum, vel aromatum odores; non mella vel manna, gustui delectabilia; non cetera ad tangendum vel amplexandum amabilia; nec omnia alia sensibus his subjecta quæro, cum Deum meum quæro. Absit ut ista crediderim Deum meum,

meum, quæ etiam à brutalium ſenſibus comprehenduntur.

3. Et tamen, cum Deum meum quæro, quæro nihilominus quandam lucem ſuper omnem lucem, quam non capit oculus; quandam vocem ſuper omnem vocem, quam non capit auris; quendam odorem ſuper omnem odorem, quem non capit naris; quendam dulcorem ſuper omnem dulcorem, quem non capit guſtus; quendam amplexum ſuper omnem amplexum, quem non capit tactus. Iſta lux quidem fulget, ubi locus non capit; iſta vox ſonat, ubi ſpiritus non rapit; odor iſte redolet, ubi flatus non ſpargit; ſapor iſte ſapit, ubi non eſt edacitas; amplexus iſte tangitur, ubi non divellitur. Hic eſt Deus meus, & non æſtimabitur alius ad illum. Hoc quæro, cum Deum meum quæro. Iſtud amo, cum Deum meum amo.

4. Sero te amavi, pulchritudo, tam antiqua & tam nova: ſero te amavi; & tu intus eras, & ego foris: & ibi te quærebam, & in iſta formoſa, quæ feciſti, ego deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longe à te, quæ eſſe non poterant, niſi in te. Circumibam enim omnia, quærens te, & propter omnia derelinquens mè. Interrogavi terram, ſi eſſet Deus meus: & dixit mihi, quod non; & omnia quæ in ea ſunt, hoc idem confeſſa ſunt. Interrogavi mare, & abyſſos, & reptilia quæ in eis ſunt, & reſponderunt: Non ſumus Deus tuus; quære ſuper nos eum. Interrogavi flabilem aërem, & inquit univerſus aër cum omni-

omnibus incolis ſuis: Fallitur Anaximenes, non ſum ego Deus tuus. Interrogavi cœlum, Solem, Lunam & ſtellas: neque nos ſumus Deus tuus, inquiunt.

5. Et dixi omnibus his, quæ circumſtant fores carnis meæ: Dixiſtis mihi de Deo meo, quod vos non eſtis; dicite mihi aliquid de illo. Et clamaverunt omnes voce grandi: Ipſe fecit nos. Interrogavi deinde mundi molem: Dic mihi, ſi es Deus meus, an non? Et reſpondit voce forti: Non ſum (inquit) ego, ſed per ipſum ſum ego; quem quæris in me, ipſe fecit me; ſupra me quære eum, qui regit me, qui fecit me. Interrogatio creaturarum, profunda eſt conſideratio ipſarum: reſponſio earum, atteſtatio ipſarum de Deo, quoniam omnia clamant: Deus nos fecit. Quoniam ut ait Apoſtolus: Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, à creatura mundi intellecta conſpiciuntur.

6. Et redii ad me, & intravi in me, & ajo ad me: Tu quis es? Et reſpondi mihi: Homo rationalis & mortalis. Et incepi diſcutere quid hoc eſſet: & dixi: Vnde hoc tale animal, Domine Deus meus? unde niſi abs te? Tu feciſti me, & non ego ipſe me. Quis tu? Tu, per quem vivo ego. Tu, per quem vivunt omnia. Quis tu? Tu, Domine Deus meus verus, & ſolus omnipotens, & æternus, & incomprehenſibilis, & immenſus. Qui ſemper vivis, & nihil moritur in te; immortalis enim es, habitans æternitatem: mirabilis oculis Angelorum, inenarrabilis, imperſcrutabilis, & innominabilis. Deus vivus

vus est verus, terribilis & fortis, nesciens principium neque finem, principium omnium atque finis: qui es ante primordia sæculorum, & ante omnes sæculorum origines. Tu es Deus meus, & Dominus omnium quæ creasti; & apud te omnium stabilium stant causæ; & omnium mutabilium apud te immutabiles manent origines; & omnium rationabilium & irrationabilium atque temporalium sempiternæ vivunt rationes.

7. Dic mihi supplici servo tuo, Deus meus, dic misericors misero tuo, dic quæso per miserationes tuas. Vnde hoc tale animal, nisi abs te? An quisquam sese faciendi erit artifex? An aliunde quam à te traditur esse & vivere? Nonne tu es summum esse, à quo est omne esse? Quicquid enim est, à te est, quia sine te nihil est. Nonne tu es fons vitæ, à quo fluit omnis vita? Quicquid enim vivit, per te vivit, quia sine te nihil vivit. Tu ergo Domine fecisti omnia. Num quæram, quis fecit me? Tu Domine fecisti me, sine quo factum est nihil. Tu factor mei. Ego opus tuum. Gratias tibi ago, Domine Deus meus, per quem vivo ego, & per quem omnia vivunt, quoniam fecisti me. Gratias tibi plasmator mei, quia manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me. Gratias tibi lux mea, quoniam illuminasti me, & inveni te & me. Vbi invani me, ibi cognovi me: ubi inveni te, tibi cognovi te: ubi autem cognovi te, ibi illuminasti me. Gratias tibi lux mea, quoniam illuminasti me.

8. Quid est, quod dixi, cognovi te? Nonne tu es Deus incomprehensibilis & immensus? Rex Regum, & Dominus Dominantium? qui solus habes immortalitatem, & lucem habitas inaccessibilem? quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Nonne tu es Deus absconditus & imperscrutabilis majestatis, solus tui ipsius cognitor, & mirabilis contemplator? Quis ergo cognovit, quod nunquam vidit? Dixisti enim in veritate tua: Non videbit me homo, & vivet. Dixit & præco tuus per veritatem tuam: Deum nemo vidit unquam. Quis ergo cognovit, quod nunquam vidit? Dixit etiam veritas tua: Nemo novit filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius. Sola Trinitas tua soli sibi integre nota est, quæ exsuperat omnem sensum.

9. Quid est ergo quod dixi, homo vanitati similis, quia cognovi te? Quis enim cognovit te, nisi tu te? Tu quippe solus Deus omnipotens, superlaudabilis, & superglorioſus, & superexaltatus, & altissimus, & supersubstantialis, in sanctissimis & divinissimis eloquiis nominaris. Quoniam super omnem essentiam intelligibilem sive intellectualem, atque sensibilem, & super omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, supersubstantiabiliter & superintelligibiliter esse dignosceris: quoniam supersubstantiabili & occulta divinitate, super omnem rationem, intellectum, & essentiam, inaccessibiliter & imperscrutabiliter habitas in te ipso, ubi lux inac-

inacceſſibilis, & lumen imperſcrutabile, & incomprehenſibile & inenarrabile, ad quod non attingit aliquod lumen; quoniam incontemplabile, & inviſibile, ſuperrationale, & ſuperintelligibile, & ſuperinacceſſibile, & ſuperincommutabile, & ſuperincommunicabile creditur. Quod nullus unquam Angelorum vel hominum vidit, ſed nec videre poteſt. Hoc eſt cœlum tuum, Domine, cœlum celans, ſuperarcanum, ſuperintelligibile, ſuperrationale, & ſupereſſentiale lumen, de quo dicitur: Cœlum cœli Domino.

10. Cœlum cœli, cui terra eſt omne cœlum, quia ſupermirabiliter exaltatum eſt ſuper omne cœlum. Ad quod etiam terra eſt ipſum cœlum Empyreum. Hoc enim eſt cœlum cœli Domino: quia nulli notum, niſi Domino. Ad quod nemo aſcendit, niſi qui de cœlo deſcendit. Quia nemo novit Patrem, niſi Filius, & eorum Spiritus. Et nemo novit Filium, niſi Pater, & eorum Spiritus. Soli quidem tibi Trinitas integre nota eſt. Trinitas ſancta, Trinitas ſupermirabilis, & ſuperinſcrutabilis, & ſuperinacceſſibilis, ſuperincomprehenſibilis, ſuperintelligibilis, ſupereſſentialis, ſupereſſentialiter exſuperans omnem ſenſum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem eſſentiam ſupercæleſtium animorum; quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoſcere poſſibile eſt, etiam oculis Angelorum.

11. Vnde ergo cognovi te, Domine Deus

altissime super omnem terram, super omne cœlum? quem neque Cherubim perfecte cognoscunt, neque Seraphim; sed alis contemplationum suarum velatur facies, sedentis super solium excelsum & elevatum, clamantes & dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria tua. Expavit Propheta, & dixit: Væ mihi quia tacui; quia vir pollutus labiis ego sum. Et expavit cor meum, & dixi: Væ mihi, quia (non tacui; quia vir pollutus labiis ego sum: Sed dixi,) cognovi te. Veruntamen Domine, væ tacentibus de te: quoniam loquaces muti fiunt sine te. Et ego, Domine Deus meus, non tacebo, quoniam fecisti me, & illuminasti me: & invenisti me, & cognovi te, quoniam illuminasti me.

12. Sed qualiter cognovi te? Cognovi te in te. Cognovi te, non sicut tibi es; sed cognovi te, sicut mihi es: & non sine te, sed in te; quia tu es lux quæ illuminasti me. Sicut enim tibi es, soli tibi cognitus es: sicut mihi es secundum gratiam tuam, & mihi cognitus es. Sed quid mihi es: Dic mihi misericors famulo tuo misero; dic mihi per miserationes tuas, quid mihi es: Dic animæ meæ, Salus tua ego sum; noli abscondere à me faciem tuam, ne moriar. Sine me loqui apud misericordiam tuam me terram & cinerem: sine me loqui apud misericordiam tuam, quoniam misericordia tua magna est super me: loquar enim ad Deum meum, cum sim pulvis & cinis. Dic mihi supplici tuo, dic mihi misericors misero tuo, dic per miserationes

tiones tuas, quid mihi es? Et intonasti desuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei, & rupisti surditatem meam, & audivi vocem tuam; & illuminasti cæcitatem meam, & vidi lucem tuam: & cognovi quoniam Deus meus es tu. Propterea dixi, quod cognovi te.

13. Cognovi enim te, quoniam Deus meus es tu. Cognovi te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Erat tempus quando non cognoscebam te. Væ tempori illi, quando non cognoscebam te. Væ cæcitati illi, quando non videbam te. Væ surditati illi, quando non audiebam te. Cæcus & surdus per formosa quæ feciſti, deformis irruebam. Et mecum eras, & tecum non eram, & ea me tenebant longe à te, quæ non essent, nisi essent in te. Illuminasti me, lux mundi: & vidi te, & amavi te. Nemo quippe te amat, nisi qui te videt: & nemo te videt, nisi qui te amat. Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua, & tam nova, sero te amavi. Væ tempori illi, quando non te amavi.

CAPVT XXXII.

Confessio veræ fidei.

1. GRatias tibi ago lux mea, qui illuminasti me, & cognovi te. Qualiter cognovi te? Cognovi te solum Deum vivum & verum creatorem meum: cognovi te, creatorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium, Deum verum, omnipotentem, immortalem & invisibilem, incircumscriptibilem, interminabilem, æternum,

inacceſſibilem, incomprehenſibilem, imperſcrutabilem, incommutabilem, immenſum, infinitum, principium omnium viſibilium & inviſibilium creaturarum, per quem omnia facta ſunt, per quem cuncta ſubſiſtunt elementa. Cujus majeſtas ſicut principium nunquam habuit, ſic nec deſinet in æternum. Cognovi te unum ſolum verum Deum æternum, Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum; tres quidem perſonas, ſed unam eſſentiam, omnino ſimplicem indiviſamque naturam; & Patrem à nullo Filium à Patre ſolo, & Spiritum pariter ab utroque; abſque initio, ſemper & ſine fine Deum trinum, & unum ſolum & verum Deum omnipotentem: unum univerſorum principium, creatorem omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium & temporalium; qui tua omnipotenti virtute, ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſti creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem, ex corpore & ſpiritu conſtitutam.

2. Cognovi te, & confiteor te Deum Patrem ingenitum, te Filium à Patre genitum, & Spiritum ſanctum paracletum, neque genitum, neque ingenitum: ſanctam & individuam Trinitatem, in tribus coæqualibus perſonis conſubſtantialibus & coæternis; Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, corde credens ad juſtitiam, & ore confitens ad ſalutem. Cognovi te verum Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,

ſtum, filium Dei unigenitum, creatorem, ſalvatorem, & redemptorem mei, & totius humani generis; quem confiteor ex Patre genitum ante ſæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, non factum ſed genitum, conſubſtantialem & coæternum Patri & Spiritui ſancto, per quem omnia facta ſunt à principio: firmiter credens & veraciter confitens, te Deum unigenitum Ieſum Chriſtum, propter ſalutem hominum à tota Trinitate communiter incarnatum, & ex Maria perpetua virgine, Spiritus ſancti cooperatione conceptum, verum hominem factum, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtentem.

3. Qui cum ſecundum divinitatem unigenitus Dei impaſſibilis ſis, pariter & immortalis; propter nimiam dilectionem tuam, qua dilexiſti nos, idem ipſe Dei filius ſecundum humanitatem factus es paſſibilis & mortalis. Qui propter ſalutem humani generis, unice fili Dei, in ligno crucis pati dignatus es paſſionem & mortem, ut nos à morte perpetua liberares. Atque ad inferos, ubi ſedebant in tenebris patres noſtri, auctor luminis deſcendiſti, & die tertia glorioſus victor ab inferis ad ſuperos reſurrexiſti; reſumens ſacrum corpus, quod pro peccatis noſtris mortuum jacuerat in ſepulchro; & vivificans ſecundum ſcripturas die tertia, ut ipſum in Patris dextra collocares. Aſſumpta namque tecum ex inferis captivitate, quam captivaverat antiquus hoſtis humani generis inimicus, verus Dei filius cum

noſtræ carnis ſubſtantia, id eſt, cum anima & carne humana ex Virgine glorioſa aſſumpta, ſuper omnes cælos aſcendiſti, tranſcendens omnes ordines Angelorum: ubi ſedes ad dexteram Dei Patris, ubi eſt fons vitæ, & lumen inacceſſibile, & pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum.

4. Ibi te Deum verum & hominem Ieſum Chriſtum adoramus, & credimus, confitentes te Patrem habere Deum; indeque te venturum Iudicem in fine ſæculi expectamus, ut judices vivos & mortuos, & reddas omnibus bonis & malis ſecundum opera ſua, quæ operati ſunt in hac vita, vel præmium, vel ſupplicium; prout unuſquiſque dignus fuerit requie vel ærumna. Reſurgent enim in illa die à voce virtutis tuæ omnes homines, quotquot humanam animam acceperunt in carne ſua, quam hic habuerunt; ut totus homo pro meritis vel gloriam ſuſcipiat, vel gehennam. Tu es ipſa vita, & reſurrectio noſtra, quem ſalvatorem expectamus, Dominum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.

5. Cognovi te Deum verum & unum Spiritum ſanctum Patris & Filii ab utroque pariter procedentem, conſubſtantialem & coæternum Patri & Filio, paracletum & advocatum noſtrum, qui ſuper eundem Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in columbæ ſpecie deſcendiſti, & ſuper Apoſtolos in linguis igneis apparuiſti. Qui & omnes Sanctos & electos Dei à principio; tuæ gratiæ

tiæ munere docuisti, & ora Prophetarum, ut enarrent mirabilia regni Dei, aperuisti: qui ab omnibus Sanctis Dei cum Patre & Filio simul adoraris, & glorificaris. Inter quos & ego filius ancillæ tuæ, toto corde meo glorifico nomen tuum, quoniam illuminasti me. Tu enim es vera lux, lumen veridicum, ignis Dei, & magister spirituum: qui unctione tua doces nos omnem veritatem, Spiritus veritatis: sine quo impossibile est placere Deo, quoniam tu ipse Deus es ex Deo, & lux de luce procedens, à Patre luminum ineffabiliter, & ab ejus filio Domino nostro Iésu Christo: quibus consubstantialis, & coæqualis, & coæternus, existens in unius Trinitatis essentia, supereſſentialiter congloriaris & conregnas.

6. Cognovi te unum Deum vivum & verum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; trinum quidem in personis, sed unum in essentia quem confiteor, adoro & glorifico toto corde meo, verum Deum solum, sanctum, immortalem, invisibilem, incommutabilem, inaccessibilem, imperscrutabilem: unum lumen, unum solem, unum panem, unam vitam, unum bonum, unum principium, unum finem, unum creatorem cœli & terræ; per quem omnia vivunt, per quem omnia subsistunt, per quem omnia gubernantur, reguntur & vivificantur, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, & quæ sub terra, præter quem non est Deus in cœlo & in terra.

7. Sic cognovi te Domine Deus cogni-

tor mei, sic cognovi te. Cognovi te per fidem tuam, quam inspirasti mihi, lux mea, lumen oculorum meorum, Domine Deus meus, spes omnium finium terræ, gaudium lætificans juventutem meam, & bonum sustentans senectutem meam. In te enim Domine jubilant omnia ossa mea, dicentia: Domine, quis similis tibi? Quis similis tibi in diis Domine? Non quem fecit manus hominum, sed qui feciſti manus hominum. Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum; non sic operator hominum. Omnes dii gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit, Dominus ipse est Deus. Dii, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de cœlo & de terra; Deum, qui creavit cœlum & terram, cœli & terra benedicant.

CAPVT XXXIII.

De confeßione propriæ vilitatis.

1. QVis similis tibi etiam in diis Domine? Quis similis tibi? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia? Sero te cognovi lumen verum, sero te cognovi. Erat autem nubes magna & tenebrosa ante oculos vanitatis meæ: ita ut videre non possem solem justitiæ, & lumen veritatis. Involvebar in tenebris; filius tenebrarum, tenebras meas amabam: quia lumen non cognoscebam. Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit, ubi eram homo cæcus, sedens in tenebris & umbra mortis?

2. Quis

2. Quis accepit manum meam, ut inde me educeret? Quis est ille illuminator meus? Non enim quærebam, & ipse quæsivit me: non vocabam eum, & ipse vocavit me. Quis est ille? Tu es Domine Deus meus, misericors & miserator, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Tu sancte Domine Deus meus, quem confiteor toto corde meo, gratias agens nomini tuo. Non te quærebam, tu tu me quæsivisti; non te invocabam, tu me vocasti.

3. Vocasti enim me nomine tuo. Intonasti desuper voce grandi, in interiorem aurem cordis mei, fiat lux; & facta est lux, & discessit nubes magna, & liquefacta est nubes tenebrosa, quæ operuerat oculos meos: & vidi lucem tuam, & cognovi vocem tuam, & dixi: Vere Domine tu es Deus meus, qui eduxisti me de tenebris & umbra mortis; & vocasti me in admirabile lumen tuum, & ecce video. Gratias tibi illuminator meus. Et conversus sum, & vidi tenebras, in quibus fueram; & abyssum tenebrosam, in qua jacueram; & contremui, & expavi, & dixi: Væ, væ tenebris meis, in quibus jacui: Væ, væ cæcitati illi, in qua videre non poteram lumen cœli! Væ, væ præteritæ ignorantiæ meæ, quando non cognoscebam te, Domine. Gratias tibi ago, illuminator & liberator meus, quoniam illuminasti me, & cognovi te. Sero cognovi te, veritas antiqua, sero te cognovi, veritas æterna. Tu eras in lumine, & ego in tenebris, & non cognoscebam te: quia illuminari non poteram sine te, & non est lux extra te.

CA-

CAPVT XXXIV.

Consideratio divinæ majestatis.

1. SAncte sanctorum, Deus inæstimabilis majestatis, Deus Deorum, & Dominus dominorum, mirabilis, inenarrabilis, inexcogitabilis; quem contremiscunt in cœlo angelicæ Potestates; quem adorant omnes Dominationes & Throni, & omnes Virtutes pavent à conspectu tuo; cujus potentiæ & sapientiæ non est numerus, qui fundasti mundum super nihilum, & mare colligasti in aëre quasi in utre, omnipotentissime, sanctissime, fortissime Deus spiritum universæ carnis, à cujus conspectu fugit cœlum & terra; ad cujus nutum omnia se subjiciunt elementa: te adorent & glorificent omnes creaturæ tuæ.

2. Et ego filius ancillæ tuæ, per fidem tuam flecto cervicem cordis mei, sub pedibus Majestatis tuæ, gratias agens: quoniam dignatus es per tuam misericordiam illuminare me. Lumen verum, lumen sanctum, lumen delectabile, lumen superlaudabile, lumen admirabile, quod illuminat omnem hominum venientem in hunc mundum, & etiam oculos Angelorum. Ecce video, gratias ago. Ecce video lumen cœli, interlucet oculis mentis meæ radius desuper, à facie luminis tui, & lætificat omnia ossa mea. O si perficeretur in me! Auge quæso, luminis auctor, auge quæso, quod interlucet in me. Dilatetur, obsecro, dilatetur ex te.

3. Quid est hoc, quod sentio? Quis est ignis,

ignis, qui calefacit cor meum? Quæ est lux, quæ irradiat cor meum? O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris, accende me! O lux, quæ semper luces, & nunquam obfuscaris, illumina me! O utinam arderem ex te! Ignis sancte, quam dulciter ardes, quam secrete luces, quam desideranter aduris! Væ iis, qui non ardent ex te: Væ illis, qui non illuminantur ex te: O lumen veridicum, illuminans omnem mundum, cujus lux implet mundum!

4. Væ cæcis oculis, qui te non vident, sol illuminans cœlum & terram. Væ caligantibus oculis, qui te videre non possunt. Væ avertentibus oculis, ut non videant veritatem. Væ non avertentibus, ut non videant vanitatem: nequeunt enim oculi assueti tenebris, summæ veritatis radios intueri; nec sciunt de lumine aliquid æstimare, quorum est in tenebris habitatio. Tenebras vident, tenebras diligunt, tenebras approbant: de tenebris euntes in tenebras, nesciunt ubi corruant. Miseri, qui nesciunt quid amittant; & miseriores utique, qui sciunt quid amittant; qui cadunt apertis oculis, & descendunt in infernum viventes.

5. O lux beatissima, quæ non nisi à purgatissimis oculis videri potes. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Munda me, mundans virtus; sana oculos meos, ut sanis oculis te contempler, quem non nisi sani oculi intuentur. Auser, quæso, squamas caliginis antiquæ, radio tuæ illuminationis splendor inaccessibilis, ut te videre valeam irreverbera-

beratis obtutibus, & in lumine tuo videam lumen. Gratias tibi ago, lux mea. Ecce video. Dilatetur obsecro visus meus Domine ex te. Revela oculos meos, ut considerem mirabilia de lege tua: qui es mirabilis in Sanctis tuis. Gratias tibi ago, lumen meum. Ecce video, sed per speculum in ænigmate. Sed quando facie ad faciem? Quando veniet dies lætitiæ & exultationis, in qua ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei: ut videam videntem me, facie ad faciem, & satietur desiderium meum?

CAPVT XXXV.

De desiderio & siti animæ ad Deum.

1. QVemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad te Deum fontem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? O fons vitæ! vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terra deserta, invia & inaquosa, ut videam virtutem tuam & gloriam tuam, & satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio Domine; fons vitæ es, satia me. Sitio Domine, sitio te Deum vivum. O quando veniam, & apparebo Domine ante faciem tuam? Putasne videbo diem illam, diem inquam jucunditatis & lætitiæ, diem quam fecit Dominus, ut exultemus & lætemur in ea?

2. O dies præclara & pulchra, nesciens vesperum, non habens occasum: in qua audiam

diam vocem laudis, vocem exultationis & confessionis. In qua audiam: Intra in gaudium Domini tui. Intra in gaudium sempiternum, in domum Domini Dei tui; ubi sunt magna & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiam. Vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malum. Vbi erit quicquid voles, & non erit quidquid noles. Vbi erit vita vitalis dulcis, & amabilis, semperque memorialis: ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra, sed summa & certa securitas, secura tranquillitas, & tranquilla jocunditas, jocunda fœlicitas, fœlix æternitas, æterna beatitudo, & beata Trinitas, & Trinitatis Vnitas, & Vnitatis Deitas, & Deitatis beata visio; quæ est gaudium Domini Dei tui.

3. O gaudium super gaudium: gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium! Quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te? Ibo illuc, & videbo visionem hanc grandem. Quid est, quod me detinet? Heu me, quia incolatus meus prolongatus est! Heu me, quam diu dicetur mihi: Vbi est Deus tuus? quamdiu dicetur mihi: Expecta, reexpecta. Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne tu, Domine Deus meus? Salvatorem expectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Expectamus Dominum, quando revertatur à nuptiis, ut inducat nos ad suas nuptias. Veni Domine, & noli

noli tardare. Veni Domine Iesu Christe, veni, & visita nos in pace. Veni, & educ vinctos de carcere, ut lætemur coram te corde perfecto. Veni Salvator noster. Veni desideratus cunctis gentibus, ostende faciem tuam, & salvi erimus. Veni lux mea, redemptor meus, educ de carcere animam meam ad confitendum nomini sancto tuo.

4. Quamdiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te, Domine, & non exaudis? Audi clamantem, Domine, de hoc mari magno, & adduc me ad portum fœlicitatis æternæ. Fœlices, qui de periculo maris hujus educti, ad te Deum, portum tutissimum, pervenire meruerunt. O vere fœlices, qui de pelago ad litus, de exilio ad patriam, de carcere ad palatium pervenerunt, optata jam quiete beati; qui bravium illud perpetuæ gloriæ, quod hic per multas tribulationes quæsierunt, jam fœlici jucunditate adepti, lætantur in perpetuum. O vere beati, ô terque quaterque beati, qui jam omnium malorum exuti, securi de sua immarcescibili gloria, ad regnum decoris, pervenire meruerunt. O æternum regnum, regnum omnium sæculorum; ubi lumen indeficiens, & pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum: In quo sanctorum animæ requiescunt, & lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

5. O quam glorioſum est regnum, in quo tecum, Domine, regnant omnes Sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capi-

capite ſuo coronam de lapide precioſo! O regnum beatitudinis ſempiternæ, ubi tu Domine, ſpes Sanctorum, & diadema gloriæ, facie ad faciem videris à Sanctis, lætificans eos undique in pace tua, quæ exſuperat omnem ſenſum. Ibi gaudium infinitum, lætitia ſine triſtitia, ſalus ſine dolore, via ſine labore, lux ſine tenebris, vita ſine morte, omne bonum ſine omni malo. Vbi juventus nunquam ſeneſcit, ubi vita terminum neſcit, ubi decor nunquam palleſcit, ubi amor nunquam tepeſcit, ubi ſanitas nunquam marceſcit, ubi gaudium nunquam decreſcit, ubi dolor nunquam ſentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi triſte nihil videtur, ubi lætitia ſemper habetur, ubi malum nullum timetur, quoniam ibi ſummum bonum poſſidetur, quod eſt videre ſemper faciem Domini virtutum.

6. Fœlices igitur, qui de naufraga vita præſenti, ad tanta gaudia jam pervenire meruerunt. Infœlices heu nos miſeri, qui per hujus maris magni fluctus procelloſaſque voragines navem trahimus; ignorantes an ad portum ſalutis pervenire valeamus. Infelices inquam, quorum vita eſt in exilio, vita in periculo: finis in dubio, neſcientes finem noſtrum: quia omnia in futurum reſervantur incerta. Adhuc in pelagi fluctibus verſamur, ſuſpirantes ad te portum maris. O patria noſtra, patria ſecura, à longe te videmus, ab hoc mari te ſalutamus, ab hac valle ad te ſuſpiramus, & nitimur cum lachrymis, ſi quomodo ad te perveniamus.

7. Spes humani generis Christe, Deus de Deo, refugium nostrum, & virtus, cujus lumen à longe inter caliginosas nebulas super maris procellas, quasi stellæ maris radius oculos nostros irradiat, ut dirigamur ad te portum: Guberna Domine navem nostram tua dextra clavo crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus ne nos demergat tempestas aquæ, ne absorbeat nos profundum: sed unco crucis retrahe nos ab hoc pelago, ad te solamen unicum nostrum, quem à longe, quasi stellam matutinam & Solem justitiæ, vix lachrymantibus oculis in litore cæléstis patriæ nos exspectantem videmus.

8. En ad te clamamus redempti tui; sed & nunc exules tui, quos precioso sanguine redemisti. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe. In mari turbulento versamur. Tu in litore stans, aspicis pericula nostra: salvos nos fac propter nomen tuum. Da nobis Domine inter scyllam & charybdin ita tendere & tenere medium, ut utroque periculo evitato, salva nave & mercibus, securi perveniamus ad portum.

CAPVT XXXVI.

De gloria cœlestis patriæ.

1. CVm ergo pervenerimus ad te sapientiæ fontem, ad te lumen indeficiens, ad te lucem inextinguibilem: ut te non jam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem videamus; tunc satiabitur in bonis desiderium nostrum: quia nihil erit exterius

quod

quod desideretur, nisi tu Domine summum bonum; qui eris præmium beatorum, & diadema decoris eorum, & lætitia sempiterna super capita eorum; pacificans eos intus & extra, in pace tua, quæ exsuperat omnem sensum. Ibi videbimus, amabimus; & laudabimus. Videbimus in lumine tuo lumen tuum, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Quale autem lumen? Lumen immensum, lumen incorporeum, incorruptibile, incomprehensibile: lumen indeficiens, lumen inextinguibile, lumen inaccessibile, lumen increatum, lumen veridicum, lumen divinum; quod illuminat oculos Angelorum; quod lætificat juventutem Sanctorum; quod est lumen luminum, & fons vitæ; quod es tu, Domine Deus meus.

2. Tu es quippe lumen, in cujus lumine videbimus lumen, te scilicet in te, in splendore vultus tui, quando te videbimus facie ad faciem. Quid est videre facie ad faciem, nisi quod ait Apostolus: Cognoscere sicut & cognitus sum: cognoscere veritatem tuam, & gloriam tuam? Hoc est cognoscere faciem tuam, cognoscere Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti clementiam, ipsius summæ Trinitatis unam & individuam essentiam. Videre enim faciem Dei vivi, hoc est summum bonum, gaudium Angelorum atque omnium Sanctorum, præmium vitæ æternæ, gloria spirituum, lætitia sempiterna, corona decoris, bravium fœlicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum,

mum, & externum gaudium, paradisus Dei: Hierusalem cœlestis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium æternitatis, pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum.

3. Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum, qui fecit cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum, qui salvavit eum, & qui glorificavit eum. Videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. Ipse enim erit hæreditas populi sui, populi Sanctorum, populi quem redemit. Ipse possessio fœlicitatis eorum, ipse præmium & merces expectationis. Ero, inquit, merces tua magna nimis, magnum enim magna decent. Vere, Domine Deus meus, magnus es tu nimis super omnes Deos, & merces tua magna nimis. Neque enim magnus es tu, & parva merces tua: sed ut magnus es tu, ita magna merces tua: quoniam non aliud es tu, & aliud merces tua. Sed tu ipse magnus nimis: tu ipse merces magna nimis: tu ipse coronator es, & corona: tu ipse promissor es & promissio. Tu remunerator & munus; tu præmiator & præmium fœlicitatis æternæ.

4. Tu ergo coronator es & corona, Deus meus, & diadema spei meæ, quæ ornata est gloria: lumen lætificans, lux renovans, decor adornans: spes mea magna, desiderium cordis Sanctorum, & desideratus eorum. Visio ergo tua tota merces est, totum præmium, & totum gaudium, quod expectamus. Hæc est enim vita æterna, hæc est, inquam, sapien-

sapientia tua. Hæc est vita æterna, ut cognoscamus te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Cum igitur videbimus te solum Deum, Deum verum, Deum vivum, omnipotentem, simplicem, invisibilem, incircumscriptibilem, incomprehensibilem: & Filium tuum unigenitum, consubstantialem, & coæternum tibi, Dominum nostrum Iesum Christum, quem pro salute nostra misisti in mundum in virtute Spiritus sancti, trinum in personis, & unum in essentia, Deum sanctum solum, extra quem non est Deus; tunc habebimus quod nunc quærimus, vitam æternam, gloriam sempiternam, quam præparasti diligentibus te, quam abscondisti timentibus te, quam daturus es quærentibus faciem tuam semper.

5. Et tu Domine Deus meus, formator meus ex utero matris meæ, quæ me recommendavit manui tuæ, non me permittas amplius ex uno distrahi in multa: sed collige me de exterioribus ad me, de me ad te; ut dicat tibi semper cor meum, Exquisivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram, faciem Domini virtutum, in qua sola consistit tota gloria sempiterna beatorum. Quam quidem videre, vita æterna est, & gloria sempiterna Sanctorum. Lætetur ergo cor meum, ut timeat nomen tuum. Lætetur cor quærentium Dominum, sed multo magis cor invenientium. Si enim lætitia est in quærendo, qualis lætitia erit in inveniendo? Quæram ergo semper ardenter & indesinenter faciem tuam, si quando tandem

aperiatur mihi oſtium & porta juſtitiæ, ut intrem in gaudium Domini mei. Hæc porta Domini; juſti ingredientur per eam.

CAPVT XXXVII.

Oratio ad ſanctam Trinitatem.

1. O Tres coæquales & coæternæ perſonæ, Deus unus & verus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; qui ſolus habitas æternitatem, & lucem inacceſſibilem. Qui fundaſti terram in potentia tua, & regis orbem terræ prudentia tua. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sebaoth. Terribilis & fortis, juſtus & miſericors, admirabilis, laudabilis, amabilis, Vnus Deus, Tres perſonæ; una eſſentia, potentia, ſapientia, bonitas, una & indiviſa Trinitas. Aperi mihi clamanti portas juſtitiæ; & ingreſſus in eas, confitebor tibi Domine.

2. En ad oſtium tuum, ſumme paterfamilias, mendicus pulſo. Iube aperiri pulſanti, qui dixiſti: Pulſate, & aperietur. Pulſant enim ad oſtium tuum, Pater miſericordiſſime, deſideria rugientium præcordiorum meorum, & clamores lachrymarum oculorum meorum. Ante te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Et tu Domine non avertas faciem tuam amplius à me, nec declines in ira à ſervo tuo. Pater miſericordiarum, audi ejulatum pupilli tui, & porrige manum tuam optimam adjutricem; ut retrahat me de profundis aquarum & de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, ne peream vidente miſericordia ocu-

oculorum tuorum, aſpiciente clementia viſcerum tuorum. ſed evadam ad te Dominum Deum meum; ut videam divitias regni tui, & intuear faciem tuam ſemper, & laudem dicam nomini tuo ſancto. Domine, qui facis mirabilia; qui cor meum lætum facis memoria tui; qui illuminas juventutem meam: ne deſpicias ſenectutem meam, ſed jubilare facias oſſa mea, & reviviſcere facias ut Aquilæ canos meos.

Soliloquiorum finis.

MANVALE D. AVGVSTINI, SEV LIBELLVS

De Contemplatione Christi, sive de Verbo Dei, quo sopita cæleſtis desiderii memoria renovetur.

PRÆFATIO.

QVONIAM in medio laqueorum positi sumus, facile à cæleſti desiderio frigeſcimus. Quapropter assiduo indigemus munimento, ut expergefacti ad Deum noſtrum, verum & summum bonum, cum defluimus, recurramus. Idcirco non præsumptionis temeritate, sed magna Dei mei dilectione, huic opuſculo ad laudem ejus operam dedi; ut ex elegantioribus dictis sanctorum Patrum, breve & manuale verbum de Deo meo mecum semper haberem: ex cujus lectionis igne, quoties tepeſco, in ejus accendat amorem. Nunc adeſto mihi Deus meus, quem quæro, quem diligo, quem corde, & ore confiteor, & qua valeo virtute, laudo atque adoro.

2. Mens mea devota tibi, tui amore accenſa, tibi ſpirans, tibi inhians, te ſolum videre deſiderans: nihil habet dulce niſi de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre, tuam gloriam frequenter ſub corde revolvere: ut tui ſuavis memoria ſit inter hos turbines aliqua repauſatio mea. Te ergo invoco, deſideratiſſime, ad te clamo clamore

re magno in toto corde meo. Et cum te invoco, utique in me ipso invoco. Quoniam omnino non essem, nisi tu esses in me: & nisi ego essem in te, non esses in me. In me es, quoniam in memoria mea manes: ex ea cognovi te, & in ea invenio te, cum reminiscor tui, & delector in te, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.

CAPVT I.

De mirabili essentia Dei.

1. TV, Domine, cælum & terram imples, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione. Semper agens, semper quietus; colligens, & non egens; quærens, cum nihil desit tibi; amans, nec æstuans; zelans, & securus es. pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, sed non mutas consilium; recipis quod invenis, & nunquam amisisti; nunquam inops, & gaudes lucris; nunquam avarus, & usuras exigis; supererogas, cui non debes; vel semper; superogatur tibi, ut debeas.

2. Ecquis habet quicquam non tuum? Reddis debita, nulli debens; donas debita, nihil perdens. Qui ubique es, & ubique totus; qui sentiri potes, & videri non potes; qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longe es; qui nec ibi dees, ubi longe es: quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam; qui ubique præsens es, & vix inveniri potes. Quem stantem sequimur, & apprehendere non valemus. Qui

tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia.

3. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum. Qui locis non distenderis, nec temporibus variaris, nec habes accessus & recessus: qui habitas lucem inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest. In te manens quietus ubique circuis totum. Non enim scindi & dividi potes, quia vere unus es: nec in partes efficeris, sed totus totum tenes, totum imples, totum illustras & possides.

CAPVT II.

De indicibili scientia Dei.

1. SI totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis non potest enarrari. Quoniam vero indicibilis es, nullo modo scribi poteris, nec concludi. Tu es fons lucis divinæ, & Sol claritatis æternæ. Magnus es sine quantitate, & ideo immensus. Bonus sine qualitate, & ideo vere & summe bonus, & nemo bonus, nisi tu solus. Cujus voluntas, opus est: cujus velle, posse est. Qui omnia quæ ex nihilo creasti, sola voluntate feciſti. Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas, & absque tædio regis, & nihil est quod conturbet ordinem imperii tui, vel in summis, vel in imis.

2. Qui in omnibus locis sine loco haberis; & omnia contines sine ambitu, & ubique præsens es sine situ & motu. Qui nec mali

auctor

auctor es, quod facere non potes. Qui nihil non potes, nec unquam quicquam te feciſſe pœnituit. Cujus bonitate facti ſumus, & juſtitia pœnas luimus, & clementia liberamur. Cujus omnipotentia omnia gubernat, regit, & implet, quæ creavit. Nec ideo te implere omnia dicimus, ut te contineant; ſed ipſa potius à te continentur. Nec particulatim imples omnia, nec ullatenus ita putandum eſt, ut unaquæque res pro magnitudine ſuæ portionis capiat te: id eſt maxima majus, minima minus; dum ſis potius ipſe totus in omnibus, & omnia in te. Cujus omnipotentia omnia concludit, nec evadendi potentiam tuam quis aditum invenire poterit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam evadet iratum.

CAPVT III.

De deſiderio animæ ſentientis Deum.

1. TE igitur clementiſſime Deus invoco in animam meam, quam præparas ad capiendum te ex deſiderio, quod inſpiras ei. Intra, rogo, in eam, & coapta eam tibi, ut poſſideas illam, quam feciſti & refeciſti; ut habeam te velut ſignaculum ſuper cor meum. Quæſo piiſſime, invocantem te non deſeras; quia priuſquam te invocarem, me vocaſti, & quæſiiſti: ut ego ſervus tuus te quærerem, quærendo invenirem, & inventum amarem. Quæſivi, & inveni te Domine, & amare deſidero. Auge deſiderium meum, & da quod peto; quoniam ſi cuncta quæ feciſti mihi dederis, non ſufficit ſervo tuo,

tuo, nisi teipsum dederis. Da ergo teipsum mihi: Deus meus redde te mihi. En amo te, & si parum est, amem validius. Tui ergo amore teneor, tui desiderio flagro, tui dulci memoria delector.

2. Ecce, dum tibi mens mea suspirat, & tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa carnis sarcina minus gravat, cogitationum tumultus cessat, pondus mortalitatis & miseriarum more solito non hebetat; silent cuncta, tranquilla sunt omnia. Cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet, & totus spiritus, ex desiderio visionis tuæ accensus, invisibilium amore rapi se videt. Assumat spiritus meus pennas ut Aquilæ; volet, & non deficiat: volet, & perveniat usque ad decorem domus tuæ, & thronum gloriæ tuæ; & ibi super mensam refectionis civium supernorum pascatur de occultis tuis, in loco pascuæ juxta fluenta plenissima. Tu esto exultatio nostra, qui es spes nostra, salus atque redemptio. Tu esto nostrum gaudium, qui es futurus præmium. Te semper quærat anima mea, & tu præsta ut quærendo non deficiat.

CAPVT IV.

De miseria animæ, quæ Dominum nostrum Iesum Christum non amat, nec quærit.

1. VÆ miseræ animæ, quæ Christum non quærit, nec amat, arida manet & misera. Perdit quod vivit, qui te Deum non diligit. Qui curat vivere non propter te, Domine, nihil est, & pro nihilo est. Qui tibi vive-

vivere recusat, mortuus est. Qui tibi non sapit, desipit. Misericordissime, tibi me commendo, reddo, & concedo; per quem sum, vivo, & sapio: in te confido, spero, & totam spem meam pono, per quem resurgam, vivam, & requiescam. Te cupio, diligo, adoro: cum quo manebo, regnabo, & beatus ero. Anima quæ te non quærit, nec diligit, mundum diligit, peccatis servit, & vitiis subjecta est: nunquam quieta, nunquam secura est. Famuletur tibi semper mens mea, piissime. Suspiret tibi semper peregrinatio mea: ardeat in amore tui cor meum.

2. Requiescat in te, Deus meus, anima mea: contempletur te in mentis excessu: cantet laudes tuas in jubilatione: & hæc sit in hoc exilio meo consolatio mea. Confugiat mens mea sub umbra alarum tuarum, ab æstibus cogitationum sæculi hujus. Repausęt in te cor meum, cor mare magnum tumens fluctibus. O dives omnium bonarum dapum, supernæ satietatis opulentissimæ largitor, Deus; da lasso cibum, collige dispersum, libera captivum, & reintegra scissum. En stat ad ostium, & pulsat. Obsecro per viscera misericordiæ tuæ, quibus visitasti nos oriens ex alto, jube pulsanti misero aperiri, ut liberis gressibus ingrediatur ad te, & requiescat in te, & reficiatur de te pane cœlesti. Tu enim es panis, & fons vitæ: tu lumen claritatis æternæ: tu omnia ex quibus vivunt recti, qui diligunt te.

CA-

CAPVT V.

De desiderio animæ.

1. DEus, lumen cordium te videntium & vita animarum te amantium, & virtus cogitationum te quærentium: da ut sancto tui amori inhæream. Veni, rogo, in cor meum, & ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut obliviscar ista temporalia. Pudet ac piget me talia pati, qualia mundus iste agit. Triste est mihi quod video, grave est omne quod de transitoriis audio. Adjuva me Domine Deus meus, & da lætitiam in corde meo: veni ad me, ut videam te. Sed angusta est mihi domus animæ meæ, quousque venias ad eam, & dilatetur à te. Ruinosa est, refice eam. Habet plurima, quæ offendunt oculos tuos; fateor, & scio: sed quis mundabit eam, aut cui alteri præter te clamabo: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo?

2. Fac me dulcis Christe, bone Iesu, fac me, rogo, amore & desiderio tui deponere onus carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum. Dominetur carni anima, animæ ratio, rationi gratia tua, & tuæ me interius & exterius subde voluntati. Tribue mihi, ut laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea. Dilata mentem meam, & attolle intuitum cordis mei; ut vel rapida cogitatione spiritus meus attingat te, æternam sapientiam super omnia manentem. Dissolve me, oro, à vinculis, quibus

bus constrictus teneor, ut relinquens omnia ista, tibi serviam, tibi soli inhæream, tibi soli intendam.

CAPVT VI.

De fælicitate animæ à terreno carcere resolutæ.

1. Fœlix anima, quæ terreno resoluta carcere, libera, cælum petit; quæ te dulcissimum Dominum facie ad faciem cernit; quæ nullo metu mortis afficitur, sed de incorruptione perpetuæ gloriæ lætatur. Tranquilla est & secura; jam non timet hostem, nec mortem. Habet te pium Dominum, quem diu quæsivit, semperque amavit: hymnidicis sociata choris, melliflua perpetuæ festivitatis carmina, ad laudem gloriæ tuæ, rex Christe, bone Iesu, in æternum concinit. Inebriata enim ab ubertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potas eam. Fœlix societas supernorum civium, & glorioſa solemnitas omnium ad te redeuntium ab hujus nostræ peregrinationis tristi labore, ad amœnitatem pulchritudinis, ad formositatem totius splendoris, atque dignitatem totius elegantiæ: ibi te jugiter, Domine, tui cives cernunt. Nihil omnino, quod conturbet mentem, ibidem auribus datur.

2. Quæ cantica? Quæ organa? Quæ cantilenæ? Quæ melodiæ ibi sine fine decantantur? Sonant ibi semper melliflua hymnorum organa, suavissima Angelorum melodia, cantica canticorum mira; quæ ad laudem & gloriam tuam, à supernis civibus decan-

decantantur. Amaritudo, & omnis fellis asperitas, in regione tua locum non habent. Non enim est ibi malus, neque malitia. Non est adversarius & impugnans, nec est ulla peccati illecebra. Nulla est ibi indigentia, dedecus nullum, rixa nulla, nullum improperium, causatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla discordia: sed est ibi pax summa, charitas plena, jubilatio & laus Dei æterna, sine fine secura requies, & gaudium semper in Spiritu sancto.

3. O quam fortunatus ero, si audivero jucundissimas civium tuorum cantilenas, carmina melliflua, laudes summæ Trinitati debito honore promentia! Sed & nimium fœlix, si ego ipse meruero cantare canticum Domino Iesu Christo, de dulcibus cantibus Sion.

CAPVT VII.

De gaudio Paradisi.

1. O Vita vitalis, vita sempiterna, & sempiterna beata! Vbi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate: ubi omnia bona in charitate perfecta; ubi species & visio facie ad faciem; ubi plena scientia in omnibus & per omnia; ubi summa Dei bonitas cernitur, & lumen illuminans à Sanctis glorificatur; ubi præsens majestas Dei con-

conſpicitur; & hoc vitæ cibo, ſine defectu, mens intuentium ſatiatur; vident ſemper, & videre deſiderant; ſine anxietate deſiderant, & ſine faſtidio ſatiantur.

2. Vbi verus Sol juſtitiæ mira ſuæ pulchritudinis viſione omnes reficit: & ita univerſos cœleſtis patriæ cives illuminat, ut luceant ipſi: lumen videlicet illuminatum per divinum lumen, illuminans ultra omnem Solis noſtri ſplendorem, atque cunctarum ſtellarum claritatem: Immortali adhærentes Deitati, ac per hoc immortales & incorruptibiles facti, juxta promiſſionem Domini Salvatoris: Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis unum ſint.

CAPVT VIII.

De Regno cælorum.

1. REgnum cœlorum, regnum fœliciſſimum, regnum carens morte, & vacans fine; cui nulla tempora ſuccedunt per ævum. Vbi continuus ſine nocte dies, neſcit habere tempus; ubi victor miles poſt laborem, donis ineffabilibus cumulatur, nobile perpetua caput amplectente corona.

2. Vtinam remiſſa peccatorum mole me ultimum ſervorum Chriſti, juberet divina pietas hanc carnis ſarcinam deponere; ut in ſuæ civitatis gaudia æterna repauſandus tranſirem, ſanctiſſimis ſupernorum choris intereſ-

tereſſem, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſterem, præſentem Dei vultum cernerem, nullo mortis metu tangerer, de perpetuæ immortalitatis incorruptione ſecurus gauderem, & ſcienti omnia conjunctus omnem ignorantiæ cæcitatem amitterem: terrena cuncta parvipenderem, convallem lachrymarum iſtam intueri vel reminiſci ulterius non dignarer; ubi vita laborioſa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena, vita domina malorum, ancilla infernorum.

3. Quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, aëra morbidant, eſcæ inflant, jejunia macerant, joci ſolvunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit; diabolus inſidiatur, mundus adulatur, caro delectatur; anima excæcatur, totus homo conturbatur. Et his tot & tantis malis mors furibunda ſuccedit; vaniſque gaudiis ita finem imponit, ut cum eſſe deſierint, nec fuiſſe putentur.

CAPVT IX.

Quomodo poſt nimios ploratus mœſtam animam conſolatur Deus.

1. SEd quas laudes, quaſve gratiarum actiones, tibi referre valeamus, Deus noſter; qui nos etiam inter has tantas mortalitatis noſtræ ærumnas non deſinas conſolari mira viſitatione gratiæ tuæ? Ecce me miſerum

ſerum multis mœroribus plenum, dum vitæ meæ finem timeo, dum peccata mea conſidero, dum judicium tuum formido, dum mortis horam cogito, dum ſupplicia tartari horreo; dum opera mea, qua diſtrictione & diſcuſſione à te penſentur, ignoro, dum quo fine illa clauſurus ſim, penitus neſcio.

2. Cumque hæc & alia multa mecum ſub corde retracto, conſolaturus ades ſolita pietate Domine Deus, & inter has querelas nimioſque ploratus ac profunda cordis ſuſpiria aſſumis mœſtam & anxiam mentem ſuper alta juga montium, ad areolas uſque aromatum, & collocas me in loco paſcuæ, ſecus rivulos dulcium aquarum; ubi præparas in conſpectu meo menſam multiplicis apparatus, quæ fatigatum ſpiritum repauſet, & cor triſte lætificet: quibus tandem refocillatus deliciis, multarum miſeriarum mearum oblitus, levatus ſuper altitudinem terræ, in te vera pace quieſco.

CAPVT X.

De dulcedine divini amoris.

1. AMo te Deus meus, amo te, & magis atque magis amare te volo. Da mihi, Domine Deus meus, ſpecioſe præ filiis hominum, ut deſiderem te, ut amem te quantum volo, & quantum debeo. Immenſus es, & ſine menſura debes amari; præſertim à nobis, quos ſic amaſti, ſic ſalvaſti, pro quibus tanta & talia feciſti.

2. O amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! dulcis Chriſte, bone Ieſu,

charitas Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tui, dulcedine tua, dilectione tui, desiderio tui, charitate tua, jucunditate & exultatione tua, pietate & suavitate tua, voluptate & concupiscentia tui; quæ sancta est & bona, quæ casta est & munda; ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma tuæ charitatis vaporatus, diligam te, Dominum meum dulcissimum, & pulcherrimum, ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, & ex omni intentione mea: cum multa cordis contritione, & lachrymarum fonte: cum multa reverentia & tremore: habens te in corde & in ore, & præ oculis meis semper & ubique; ita ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus.

CAPVT XI.

De præparatione nostræ redemptionis.

1. PVlcherrime Iesu Christe, rogo te, per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui, quo redempti sumus, da mihi cordis contritionem & lachrymarum fontem, præcipue dum preces & orationes tibi offero. Dum tuæ laudis tibi psalmodiam decanto. Dum mysterium nostræ redemptionis, manifestum misericordiæ tuæ judicium, recolo vel profero. Dum sacris altaribus, licet indignus, assisto: cupiens tibi offerre illud mirabile & cæleste sacrificium, omni reverentia & devotione dignum; quod tu, Domine Deus meus, sacerdos immaculate, instituisti, & offerre præcepisti in commemora-

moratione tuæ charitatis: mortis scilicet, & passionis pro salute nostra, pro quotidiana nostræ fragilitatis reparatione.

2. Confirmetur mens mea, inter tanta mysteria, dulcedine præsentiæ tuæ; sentiat te sibi adesse, & lætetur coram te, ignis, qui semper luces, amor, qui semper ardes; dulcis Christe, bone Iesu, lumen æternum & indeficiens; panis vitæ, qui nos reficis, & in te non deficis; quotidie comederis, & semper integer manes: resplende mihi, accende me, illumina & sanctifica vas tuum, de malitia evacua, imple de gratia, & plenum conserva; ut ad salutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ: quatenus manducando te, vivam de te, vivam per te, perveniam ad te & repausem in te.

CAPVT XII.

De Gaudio.

1. O Dulcedo amoris, & amor dulcedinis; comedat te venter meus, & nectare tui amoris repleantur viscera mea, & eructet mens mea verbum bonum. Charitas Deus meus, mel dulce, lac niveum, cibus & gaudium, fac me crescere in te: ut sano palato possis manducari à me. Tu es vita mea, qua vivo; spes cui inhæreo; gloria, quam adipisci desidero. Tu mihi cor tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem erige, animum suspende, & in superna fluenta os sitientis te spiritus trahe.

2. Taceat, quæso, tumultus carnis; con-

ticeſcant phantaſiæ terrarum & aquarum, aëris & poli. Taceant ſomnia, & imaginariæ revelationes: omnis lingua, omne ſignum, & quicquid tranſeundo fit. Sileat ſibi & ipſa anima, & tranſeat ſe, non cogitando ſe, ſed te Deus meus: quoniam tu es revera tota ſpes & fiducia mea. Eſt enim in te Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto, dulciſſimo & benigniſſimo atque clementiſſimo, uniuscujuſque noſtrum & portio, & ſanguis, & caro. Vbi ergo portio mea regnat, ibi regnare me credo. Vbi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me confido. Vbi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me eſſe cognoſco. Quamvis peccator ſim, de hac tamen communione gratiæ non diffido: Et ſi peccata mea prohibent, ſubſtantia mea requirit. Et ſi delicta propria me excludunt, naturæ communio non repellit.

CAPVT XIII.

Quod Verbum incarnatum ſit cauſa ſpei noſtræ.

1. NOn enim tam inimicus eſt Dominus, ut non diligat carnem ſuam, membra ſua, & viſcera ſua. Deſperare utique potuiſſem propter nimia peccata mea & vitia, culpas & infinitas negligentias meas, quas egi, & quotidie indeſinenter ago, corde, ore, & opere, & omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare poteſt; niſi Verbum tuum, Deus meus, caro fieret, & habitaret in nobis.

2. Sed

2. Sed desperare jam non audeo, quoniam subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum, & affigens illud cruci, peccatum crucifixit, & mortem. In ipso autem securus respiro, qui sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. In ipso confisus, ad te pervenire desidero, in quo jam resurreximus & revixímus, jam in cœlum conscendimus, & in cœlestibus consídemus. Tibi laus, tibi gloria, tibi honor, tibi gratiarum actio.

CAPVT XIV.

Quod quanto major sit de Deo meditatio, tanto sit & dulcior.

1. PIissime Domine, qui sic nos amasti, & salvasti, sic vivificasti & sublimasti. Piissime Domine, quam dulcis est memoria tui! Quanto magis in te meditor, tanto es mihi dulcior & amabilior. Idcirco delectant me valde bona tua puro mentis intuitu, & dulcissimo pii amoris affectu, in loco peregrinationis meæ, juxta modulum meum. Interim quamdiu his fragilibus subsisto membris, miram tui dilectionem & pulchritudinem indesinenter cupio desiderare & considerare: tuæ enim charitatis jaculo vulneratus sum: tui vehementer desiderio flagro; ad te pervenire cupio, te videre desidero. Idcirco super custodiam meam stabo, & vigilantibus oculis psallam spiritu, psallam & mente; & totis viribus meis te, factorem & refectorem mei,

collaudabo. Polum penetrabo mente, & desiderio tecum ero; ut in præsenti quidem miseria solo corpore tenear: tecum autem cogitatione & aviditate, atque omni desiderio sim semper; quatenus ibi sit cor meum, ubi tu es, thesaurus meus desiderabilis, incomparabilis, multumque amabilis.

2. Sed ecce, Deus meus piissime ac misericordissime, dum tuæ immensæ bonitatis & pietatis gloriam considerare volo, cor meum non sufficit: excedit enim omnem sensum humanæ mentis tuum decus, tua pulchritudo, tua virtus, tua gloria, tua magnificentia, tua majestas, & tua charitas. Sicut inæstimabilis est tuæ gloriæ splendor, ita ineffabilis est æternæ tuæ charitatis benignitas; qua illos, quos de nihilo creasti, adoptas in filios, & tibi conjungis.

CAPVT XV.

Quod desiderandæ sint pro Christo tribulationes in hac vita.

1. O Anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, & Sanctis ejus sociari; nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Insidientur ergo dæmones, parent suas tentationes, frangant corpus jejunia, premant carnem vestimenta, labo-

labores gravent, vigiliæ exsiccent: clamet in me iste, inquietet me ille vel ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus; deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus; ingrediatur putredo in ossa mea, & subter me scateat: ut requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.

2. Quæ enim erit justorum gloria? quam grandis Sanctorum lætitia, cum unaquæque facies fulgebit ut Sol? Cum ordinibus distinctis, populum suum Dominus in regno Patris sui cœperit recensere: & meritis atque operibus singulorum promissa præmia restituet; pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna? Revera cumulus fœlicitatis erit, cum Dominus adducet suos Sanctos in visionem paternæ gloriæ, & faciet in cælestibus considerare, ut sit Deus omnia in omnibus.

CAPVT XVI.

Quomodo regnum cœlorum possit acquiri.

1. O Fœlix jucunditas, & jucunda fœlicitas, Sanctos videre, cum Sanctis esse, & esse sanctum: Deum videre, & Deum habere in æternum & ultra. Hæc sedula mente cogitemus, hæc toto desiderio desideremus, ut ad eos cito pervenire valeamus. Si quæras, quomodo istud potest fieri, vel quibus meritis, quibusve auxiliis? Audi: Res ista

posita est in potestate facientis : quoniam regnum cœlorum vim patitur.

2. Regnum cælorum, ô homo, aliud non quærit precium, nisi teipsum : tantum valet, quantum es. Te da, & habebis illud. Quid turbaris de precio ? Christus semetipsum tradidit, ut acquireret te regnum Deo Patri. Ita tu temetipsum da, ut sis regnum ejus, ac non regnet peccatum in tuo mortali corpore, sed spiritus in acquisitione vitæ.

CAPVT XVII.

Quid sit, & quid habeat Paradisus.

1. O Anima mea, revertamur ad civitatem cœlestem ; in qua scripti sumus, & cives decreti. Sicut enim cives Sanctorum, & domestici Dei, & sicut hæredes Dei, cohæredes autem Christi, consideremus inclytam nostræ urbis fœlicitatem, in quantum considerare possibile est. Dicamus ergo cum Propheta : O quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei : sicut lætantium omnium habitatio est in te. Fundaris enim exultatione universæ terræ : Non est in te senectus, nec senectutis miseria : Non est in te mancus, nec claudus, neque gibbosus, neque deformis ; dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis pulchritudinis Christi.

2. Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur, nemo irascitur, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit. Nullum cibi desiderium. Nulla honoris aut potestatis

pulsat

pulsat ambitio. Nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul. Mors neque corporis, neque animæ: sed immortalitatis munere jucunda vita. Nulla erunt tunc mala, nusquam discordia, sed cuncta convenientia, quia omnium sanctorum una erit concordia. Pax cuncta & lætitia continet, tranquilla sunt omnia & quieta; jugis splendor, non ut est ille qui nunc est sol, sed tanto clarior, quanto felicior; quia civitas illa (ut legitur) non egebit Sole, neque Luna; sed Dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna ejus est Agnus. Vbi Sancti fulgebunt ut stellæ, in perpetuas æternitates, & sicut splendor firmamenti, qui erudiunt multos.

3. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris ardorisve asperitas ulla, sed talis erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, nisi illorum qui ea perfrui digni inveniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Verum super hæc omnia est, consociari choris Angelorum & Archangelorum, atque omnium cœlestium virtutum; intueri Patriarchas & Prophetas, videre Apostolos atque omnes Sanctos, videre etiam parentes nostros. Glorioſa sunt hæc; sed multo gloriosius est, præsentem Dei vultum cernere, & incircumscriptum lumen videre. Superexcellens gloria erit, cum Deum videbimus in seipso, videbimus & habebimus in nobis, quem cernere finis non erit.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Quod homo non valet Deo vicem reddere nisi per amorem.

1. ANima insignis Dei imagine, illustris similitudine, habet in sese ex Deo, quo admoneatur semper aut stare cum eo, aut ad eum redire, si mota suis affectibus, imo defectibus, fuerit. Et non solum habet unde respirare queat, in spe veniæ & misericordiæ, sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi: & cum Deo inire fœdus societatis, atque cum rege Angelorum ducere suave jugum amoris.

2. Hæc omnia facit amor, si animo exhibeat se similem Deo per voluntatem; cui similis est per naturam, diligens sicut dilecta est. Solus enim est amor, ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel ipsi mutuam rependere vicem. Amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit, & captivat affectus. Amor per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium, ipse causa, ipse fructus, ipse usus. Per amorem enim conjungimur Deo.

3. Amor facit unum spiritum de duobus. Amor facit idem velle, & idem nolle. Amor facit prius mores componere, postmodum omnia quæ adsunt, tanquam non adsint considerare: tertio vero loco, munda cordis acie, superna & interna conspicere, per amorem primum in sæculo bene geruntur honesta,

post-

postmodum etiam honesta sæculi despiciuntur, ad extremum etiam Dei intima conspiciuntur.

CAPVT XIX.

Quod in nobis Deus requirat sibi simile.

1. DEus Pater charitas est, Deus Filius dilectio est, Spiritus sanctus amor Patris & Filii est. Hæc charitas & hæc dilectio aliquid simile requirit in nobis; scilicet charitatem, qua velut quadam affinitate consanguinitatis, ei sociemur, & conjungamur. Amor dignitatis nescius, reverentiam nescit. Qui amat, per seipsum fiducialiter accedit ad Deum, familiariterque loquitur ei, nihil timens, nihil hæsitans. Perdit quod vivit, qui non diligit. Qui autem diligit, oculos suos semper habet ad Deum, quem diligit, quem desiderat; in quo meditatur, in quo delectatur, in quo pascitur, in quo impinguatur.

2. Iste talis sic devotus, ita cantat, ita legit, & in omnibus operibus suis sic est providus & circumspectus, quasi Deus adsit præsens ante oculos ejus, sicut revera adest. Ita orat, quasi sit assumptus & præsentatus ante faciem majestatis in excelso throno: ubi millia millium ministrant ei, & decies centena millia adsistunt ei. Animam, quam visitat amore, expergefacit dormientem. Monet & emollit eam, & vulnerat cor ejus. Tenebrosa illuminat, clausa reserat, frigida inflammat: mentem asperam & irascibilem & impatientem mitigat: vitia fugat: carna-

les

les affectus comprimit : mores emendat, reformat & innovat ſpiritum : lubricæ ætatis motus actuſque leves coërcet. Hæc omnia facit amor cum præſens eſt : cum vero abſceſſerit, ita incipit anima jacere languida, ac ſi cacabo bullienti ſubtraxeris ignem.

CAPVT XX.

De confidentia animæ amantis Deum.

1. MAgna res eſt amor, quo anima per ſemetipſam fiducialiter accedit ad Deum, Deo conſtanter inhæret, Deum familiariter percunctatur, conſultatque de omni re. Anima quæ amat Deum, nil aliud poteſt cogitare, nil loqui ; cætera contemnit, omnia faſtidit. Quicquid meditatur, quicquid loquitur, amorem ſapit, amorem redolet, ita amor Dei eam ſibi vendicavit. Qui vult habere notitiam Dei, amet. Fruſtra accedit ad legendum, ad meditandum, ad prædicandum, ad orandum, qui non amat. Amor Dei amorem animæ parit, & eam intendere ſibi facit. Amat Deus, ut ametur. Cum amat, nil aliud vult quam amari, ſciens, amore eſſe beatos, qui ſe amaverint.

2. Anima amans, cunctis ſuis renunciat affectionibus, & tota ſoli incumbit amori: ut poſſit reſpondere amori, in redhibendo amore. Et cum tota ſe effuderit in amorem, quantum eſt ad aliud fontis perenne profluvium? Non pari ubertate concurrunt amor & amans, anima & Deus, creator & creatura : tamen ſi ex toto ſe diligit, nihil deeſt, ubi

ubi totum est. Non timeat anima, quæ amat; paveat, quæ non amat.

3. Anima amans fertur votis, trahitur desideriis, dissimulat merita: majestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens se in salutari, & fiducialiter agens in eo. Amore anima secedit, & excedit à corporeis sensibus: ut sese non sentiat, quæ Deum sentit. Hoc fit, cum mens, ineffabili Dei illecta dulcedine, quodammodo sese sibi furatur, immo rapitur atque elabitur à seipsa, ut Deo fruatur ad jucunditatem. Nihil tam jucundum, nisi esset tam modicum. Amor dat familiaritatem Dei, familiaritas ausum, ausus gustum, gustus, famem. Anima, quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nil desiderare; sed frequenter suspirat, dicens: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus meus.

CAPVT XXI.

Quid fecerit Deus propter hominem.

1. DEus amore venit ad homines, venit in homines, factus est homo. Amore Deus invisibilis servis suis factus est similis. Amore vulneratus est propter delicta nostra. Tuta & firma requies est infirmis & peccatoribus, in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quicquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei: quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ affluant. Per foramina corporis patent mihi arcana

arcana cordis, patet magnum pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.

2. Vulnera Iesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine, & charitate. Foderunt manus ejus, & pedes ejus, & latus ejus lancea perforaverunt. Per has rimas licet mihi gustare, quam suavis est Dominus Deus meus, quoniam revera suavis & mitis, & multæ misericordiæ est omnibus eum invocantibus in veritate, omnibus inquirentibus, & maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Iesu Christi Salvatoris nostri: magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum.

CAPVT XXII.

De recordatione vulnerum Iesu Christi Domini nostri.

1. CVm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei, resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi. In illis dormio securus, & requiesco intrepidus.

2. Christus mortuus est pro nobis. Nihil tam

tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus, meritum meum & refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea: meritum meum, miseratio Domini. Non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit. Et si misericordiæ Domini multæ, multus ego sum in meritis. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego sum securior.

CAPVT XXIII.

Quod recordatio vulnerum Christi est efficax remedium contra omnes adversitates.

1. PEccavi peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum. Nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit & gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem. Magnam injuriam Deo facit, qui de ejus misericordia diffidit. Quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem & potestatem, in quibus tota spes mea consistit: scilicet in charitate adoptionis, in veritate promissionis, & in potestate redemptionis. Murmuret jam quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu? & quanta est gloria illa, quibusve meritis illam obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi; qua charitate nimia adoptavit me in filium: quia verax est in promissione, potens in exhibitione, & licet ei facere, quod vult.

2. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem meam venerit; quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi & lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum Christo, si eum amavero. Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intravi, & ibi requiesco securus. Qui timet, amet: quoniam charitas foras mittit timorem. Nullum tam potens est, & tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quam mors Redemptoris mei. Extendit brachia sua in cruce, & expandit manus suas, paratus in amplexus peccatorum. inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio. Ibi securus decantabo: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Salvator noster caput inclinavit in morte, ut oscula daret suis dilectis. Toties Deum osculamur, quoties in ejus amore compungimur.

CAPVT XXIV.

Meditatio animæ ad amorem Christi.

1. O Anima mea, insignita Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum Angelis! Dilige illum, à quo tantum dilecta es. Intende illi, qui intendit tibi. Quære quærentem te. Ama amatorem tui, à quo amaris: cujus amore præventa es, qui est causa amoris tui. Ipse est meritum, ipse præmium, ipse fructus, ipse usus, ipse finis. Esto solicita cum solicito, cum vacante

te vacans, cum mundo munda, cum sancto sancta. Qualis apparueris Deo, talis oportet ut appareat tibi: Deus suavis & mitis, & multæ misericordiæ, suaves, mites, dulces, humiles & misericordes requirit. Ama illum, qui eduxit te de lacu miseriæ, & de luto fæcis.

2. Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui, cum omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit. In die sepulturæ tuæ, cum omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet: sed tuebitur à rugientibus præparatis ad escam, & conducet te per ignotam regionem, atque perducet ad plateas supernæ Sion, & ibi collocabit te cum Angelis ante faciem majestatis suæ, ubi audies illud Angelicum melos: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Ibi est canticum lætitiæ, vox exultationis & salutis, gratiarum actio, & vox laudis, atque Alleluja in perpetuum. Ibi est cumulus fœlicitatis, supereminens gloria, superabundans lætitia, & omnia bona.

3. O anima mea, suspira ardenter, desidera vehementer; ut possis pervenire in illam supernam civitatem, de qua tam gloriosa dicta sunt: in qua, sicut lætantium omnium habitatio est. Amore potes ascendere. Amanti nihil est difficile, nihil impossibile. Anima quæ amat, ascendit frequenter, & currit familiariter per plateas cœlestis Hierusalem: visitando Patriarchas & Prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus Martyrum & Confessorum, choroſque Virginum

ſpeculando. Cœlum, & terra, & omnia quæ in eis ſunt, non ceſſant mihi dicere, ut amem Dominum Deum meum.

CAPVT XXV.

Nihil poteſt animæ ſufficere præter ſummum bonum.

1. COr humanum in deſiderio æternitatis non fixum, nunquam ſtabile poteſt eſſe; ſed omni volubilitate volûbilius, de alio in aliud tranſit, quærens requiem ubi non eſt. In his autem caducis & tranſitoriis, in quibus ejus affectus captivi tenentur, veram requiem invenire non valet, quoniam tantæ eſt dignitatis, ut nullum bonum, præter ſummum bonum, ei, ſufficere poſſit: tantæ eſt libertatis, ut in aliquod vitium cogi non poſſit. Propterea, unicuique propria voluntas eſt cauſa ſuæ damnationis vel ſalvationis; & ideo nihil ditius bona voluntate Deo offertur. Bona voluntas Deum ad nos deducit, & nos in eum dirigit. Per bonam voluntatem Deum diligimus, Deum eligimus, ad Deum currimus, ad Deum pervenimus, & eum poſſidemus.

2. O bona voluntas, per quam ad Dei ſimilitudinẽ reformamur, & ei ſimiles efficimur. Ita amabilis eſt Deo bona voluntas, ut ipſe in corde habitare non velit, in quo bona voluntas non fuerit. Bona voluntas, illius ſummæ majeſtatis Trinitatem ad ſe inclinat. Sapientia namque ad cognitionem veritatis illam illuminat: Charitas ad deſiderium bonitatis inflammat; Paternitas in ea cuſtodit quod creavit, ne pereat. CA-

CAPVT XXVI.

Quid sit cognitio veritatis.

1. QVid est cognitio veritatis? Primo, cognoscere teipsum; & quod esse debes, esse studeas; quod autem corrigendum est, corrigas. Deinde, cognoscere & amare creatorem tuum. Hoc enim est totum hominis bonum. Vide ergo, quam ineffabilis est divinæ charitatis erga nos dilectio. De nihilo nos creavit, & quicquid habemus donavit. Sed quia plus dileximus datum quam datorem, creaturam quam creatorem, cecidimus in laqueum diaboli, & facti sumus ejus servi. Deus vero misericordia motus, misit Filium suum quo redimeret servos; misit etiam Spiritum sanctum, quo servos adoptaret in filios: Filium dedit in precium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium amoris, se denique totum servat in hæreditatem adoptionis.

2. Ita Deus ut piissimus & misericordissimus, præ desiderio vel amore hominis, non solum sua, verum etiam & seipsum impendit: ut hominem recuperaret, non tam sibi, quam homini ipsi. Vt homines ex Deo nascerentur, primo ex ipso natus est Deus. Quis est tam durus, quem non emolliat amor Dei, sic hominem præveniens; tam inquam vehemens amor, quod homo propter hominem dignatus est fieri? Quis potest odisse hominem, cujus naturam & similitudinem videt in humanitate Dei? Revera qui odit illum, odit Deum; & ita perdit, quicquid facit.

3. Deus namque propter hominem factus est homo, ut esset redemptor qui est & creator, ut de suo redimeretur homo. Et ut familiarius diligeretur ab homine, Deus in similitudine hominis apparuit; & ut uterque sensus hominis in ipso beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in ejus divinitate, & oculus corporis in ejus humanitate; ut, sive ingrediens, sive egrediens, in ipso pascua inveniret natura humana condita ab ipso.

CAPVT XXVII.

Quid in nobis operetur missio Spiritus sancti.

1. SAlvator namque noster natus est nobis, crucifixus & mortuus est pro nobis, ut morte sua mortem nostram destrueret. Et quia botrus carnis portatus fuerat ad torcular crucis, & expressione facta fluere cœperat mustum divinitatis; missus est Spiritus sanctus, quo vasa cordium præpararentur, & vinum novum in utres novos poneretur: primum ut corda mundarentur, ne infusum pollueretur: & postea ligarentur, ne infusum amitteretur. Mundarentur à gaudio iniquitatis, ligarentur contra gaudium vanitatis. Non enim quod bonum est venire potuit, nisi prius recederet, quod malum est. Gaudium iniquitatis polluit, & gaudium vanitatis effundit. Gaudium iniquitatis reddit vas sordidum, & gaudium vanitatis facit rimosum.

2. Gaudium iniquitatis est, cum peccatum diligitur: & gaudium vanitatis est, cum transito-

transitoria amantur. Ejice ergo quod malum est, ut quod bonum est, percipere possis. Effunde amaritudinem, ut dulcedine impleri possis. Spiritus sanctus gaudium est & amor. Ejice spiritum diaboli, & spiritum mundi hujus, ut accipias spiritum Dei. Spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis, & spiritus mundi gaudium vanitatis. Et, hæc gaudia mala sunt, quoniam alterum habet culpam, alterum occasionem culpæ. Veniet autem spiritus Dei, cum ejecti fuerint spiritus mali: & intrabit tabernaculum cordis, & operabitur gaudium bonum & amorem bonum: quo expellitur amor mundi, & amor peccati. Amor mundi allicit & decipit: amor peccati polluit, & ad mortem adducit. Amor Dei mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, & Deum demonstrat.

CAPVT XXVIII.

De operatione ejus qui diligit Deum.

1. IN quo amor Dei est, semper cogitat quando ad Deum perveniat, quando mundum derelinquat, quando carnis corruptionem evadat, ut veram pacem inveniat: semper habet cor suum & desiderium in superna elevatum. Quando sedet, quando ambulat, quando requiescit, vel quando aliquid agit, cor à Deo non recedit. Omnes ad amorem Dei exhortatur. omnibus amorem Dei commendat: & quam dulcis sit Dei amor, & quam malus, & quam amarus sit

amor sæculi, corde, ore, & opere omnibus demonstrat.

2. Deridet hujus sæculi gloriam, arguit solicitudinem: & quam stultum sit, in iis quæ transeunt fiduciam habere, ostendit. Miratur cæcitatem hominum, qui hæc diligunt. Miratur etiam quomodo universa hæc transitoria & caduca omnes non derelinquunt. Omnibus existimat dulce, quod sibi sapit; omnibus placere, quod diligit; omnibus quidem esse manifestum, quod cognoscit. Frequenter Deum suum contemplatur, & in ejus contemplatione suaviter reficitur, tanto felicius, quanto frequentius. Dulce est enim semper ad considerandum, quod ad amandum & laudandum semper est suave.

CAPVT XXIX.

De vera cordis requie.

1. REvera hæc est vera cordis requies, cum totum in amorem Dei per desiderium figitur; nec quidquam aliud appetit, sed in eo quod tenet, fœlici quadam dulcedine delectatur, delectando jucundatur. Si vero vana aliqua cogitatione vel rerum occupatione inde aliquantulum abstractum fuerit, summa cum festinatione illuc redire festinat; exilium reputans, alibi quam ibi moram facere. Nam sicut nullum est momentum, quo homo non fruatur vel utatur pietate divina; sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria.

2. Idcirco

2. Idcirco non levi crimine tenetur astrictus, quisquis in oratione cum Deo loquitur, & subito abstrahitur ab ejus conspectu, quasi ab oculis non videntis, nec audientis. Hoc autem fit, quando cogitationes suas malas & importunas sequitur: & aliquam vilissimam creaturam, ad quam mentis intuitus facile distrahitur, ei præfert: illam videlicet in cogitatione sæpius revolvendo vel cogitando, quem Deum, quem assidue debet recolere Creatorem, adorare Redemptorem, expectare Salvatorem, timere Iudicem.

CAPVT XXX.

Quidquid mentis aspectum à Deo retrahit, omnino fugiendum est atque execrandum.

1. *QVisquis amas mundum, tibi prospice quo sit eundum:*
Hæc via, qua vadis, via pessima, plenaque cladis.

Fuge igitur, ô homo, paululum occupationes tuas, & absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis. Abjice nunc onerosas curas, postpone laboriosas dissensiones, vaca aliquantulum Deo, & paululum requiesce in eo. Intra in cubiculum mentis tuæ; exclude omnia præter Deum, & quæ valent ad quærendum eum; & clauso ostio quære eum. Dic nunc totum, cor meum, dic nunc Deo: Quæro vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiro.

2. Eia nunc ergo, Domine Deus meus, tu doce cor meum, ubi & quomodo te quærat, ubi & quomodo te inveniat. Domine, si hic non es, ubi te quæram absentem? Si autem ubique es, cur te non video præsentem? Sed certe habitas lucem inaccessibilem. Sed quomodo accedam ad lucem inaccessibilem? Aut quis me deducet & inducet in illam, ut videam te in illa? Deinde, quibus signis, qua facie te quæram? Nunquam te vidi, Domine Deus meus, nunquam novi faciem tuam. Quid faciet, altissime Domine, quid faciet iste longinquus exul tuus; Quid faciet servus tuus anxius amore tui, & longe projectus à facie tua? En anhelat videre te, & nimis illi abest facies tua. Accedere ad te desiderat, & inaccessibilis est habitatio tua. Invenire te cupit, & nescit locum tuum. Quærere te affectat, & ignorat vultum tuum.

CAPVT XXXI.

Quod visio Dei perdita sit propter peccatum, & miseria inventa sit.

1. DOmine, Deus meus es tu & Dominus meus, & nunquam vidi te: tu me fecisti, & refecisti, & omnia bona tua mihi contulisti; & nondum vidi te, neque novi. Denique ad te videndum factus sum, & nondum feci id, propter quod factus sum. O misera sors hominis cum hoc perdidit, ad quod factus est! O dirus ac durus casus ille! Heu, quid perdidit, & quid invenit? Quid abscessit, & quid remansit? Perdidit beatitudinem, ad

ad quam factus est; & invenit miseriam ad quam factus non est. Abscessit, sine quo nihil fœlix est; & remansit, quod per se non nisi miserum est. Manducabat tunc homo panem Angelorum, quem nunc esurit: manducat nunc panem dolorum, quem tunc nesciebat.

2. O tu Domine, usquequo? usquequo Domine oblivisceris nos? usquequo avertis faciem tuam à nobis? Quando respicies & exaudies nos. Quando illuminabis oculos nostros & ostendes nobis faciem tuam? quando restitues te nobis? Respice Domine & exaudi; & illumina nos, & ostende nobis te ipsum. Restitue te nobis, ut bene sit nobis, sine quo tam male est nobis. Miserare labores & conatus nostros ad te, qui nihil valemus sine te. Invita nos, adjuva nos. Obsecro, Domine, ne desperem suspirando, sed respirem sperando. Obsecro, Domine, amaricatum est cor meum sui desolatione, indulca illud tua consolatione. Obsecro Domine, esuriens cœpi quærere te, ne deserar jejunus à te; famelicus accessi, ne recedam impastus; pauper veni ad divitem, miser ad misericordem, ne recedam vacuus & contemptus.

3. Domine, incurvatus sum, & non possum nisi deorsum aspicere. Erige me, ut possim sursum intendere. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, obvolverunt me, & sicut onus grave gravarunt me. Evolve me, & exonera me, ne urgeat super me puteus os suum. Liceat mihi suspicere lucem tuam vel de longo vel de profundo. Doce me

me quærere te, & ostende te quærenti; quia nec quærere te possum, nisi doceas tu, nec invenire, nisi te ostendas. Quæram te desiderando, desiderem te quærendo, inveniam amando, amem inveniendo.

CAPVT XXXII.

De bonitate Dei.

1. FAteor, Domine, & gratias ago, qui creasti in me hanc imaginem tuam: ut tui memor, te cogitem, te amem. Sed sic est oblita attritione vitiorum, sic est obfuscata fumo peccatorum: ut non possit facere ad quod facta est, nisi tu renoves & reformes eam. Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum. Desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit & diligit cor meum; neque enim quæro intelligere ut credam, sed credo ut intelligam. Ergo, Domine, qui das fidei intellectum, da mihi ut quantum scis expedire intelligam, quia es sicut credimus, & hoc es quod credimus: quia credimus te esse aliquid, quo nihil majus aut melius cogitari possit. Quid ergo es, Domine Deus? Quo majus meliusve nihil valet cogitari. Sed hoc quid est, nisi quod summum omnium solum existens per seipsum, omnia alia fecit ex nihilo? Quicquid hoc non est, minus eo est quo nihil majus possit excogitari: sed hoc de te cogitari non potest. Quod ergo bonum deest summo bono, per quod omne bonum? Tu es itaque justus, verax, beatus, & quidquid melius est esse, quam non esse.

2. Verum

2. Verum malis quomodo parcis, si es totus & summe justus? An quia bonitas tua est incomprehensibilis, & latet in luce inaccessibili, & quam inhabitas? Vere in altissimo & secretissimo bonitatis tuæ profundo latet fons, unde manat fluvius misericordiæ tuæ. Nam cum totus & summe justus sis, tamen idcirco etiam malis benignus es, quia totus & summe bonus es. Minus namque bonus esses, si nulli malo esses benignus. Melior est enim qui & bonis simul & malis bonus est, quam qui bonis tantum bonus est. Et melior est qui malis & parcendo & puniendo bonus est, quam qui puniendo tantum. Ideo ergo misericors es, quia totus & summe bonus es.

CAPVT XXXIII.

De delectabili fruitione Dei.

1. O Immensa bonitas, quæ sic omnem intellectum excedis, veniat super me misericordia illa, quæ de tanta opulentia procedit: influat in me, quæ profluit de te. Parce per clementiam, ne ulciscaris per justitiam. Excita te nunc anima mea, & erige te & totum intellectum tuum, & cogita quantum potes, quantum & quale sit illud bonum, quod Deus est.

2. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium, & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt à creatura Creator. Si enim est bona vita creata, quam bona est vita creatrix? Si jucunda

est

est salus facta, quam jucunda est salus, quæ facit omnium salutem? Si amabilis est sapientia in cogitatione rerum conditarum, quam amabilis est sapientia, quæ omnia fecit & condidit ex nihilo? Denique, si multæ & magnæ sunt delectationes in rebus delectabilibus, qualis & quanta est delectatio in eo, qui ipsa delectabilia fecit? O qui hoc bono fruetur, quid illi erit, quid illi non erit? Certe quicquid voluerit illi erit, & quid noluerit, non erit. Ibi quippe illi erunt bona animæ & corporis, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

CAPVT XXXIV.

Summum bonum appetendum est.

1. CVr ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est. Quid enim amas caro mea? Quid desideras anima mea? Ibi est quicquid amas: Ibi est, ibi est, quicquid amatis, quicquid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere poterit, erunt similes Angelis Dei; quia seminatur corpus animale, surget corpus spirituale; potestate utique, non natura.

2. Si longa aut salubris vita: ibi erit sana æternitas & æterna sanitas; quia justi in perpetuum vivent, & salus justorum à Domino.

Si

Si satietas, satiabuntur cum apparuerit gloria Domini. Si ebrietas: inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia: ibi Angeli concinent sine fine Deo. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas: torrente voluptatis suæ potabit eos Dominus. Si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia: diligent Deum plusquam seipsos, & invicem tanquam seipsos, & Deus illos, plusquam illi seipsos, quia illi illum, & se & invicem per illum; & ille se, & illos per seipsum. Si concordia: omnibus illis erit una voluntas; quia nulla in illis erit, nisi Dei summa voluntas.

3. Si potestas: omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut Deus poterit quod volet per seipsum; ita poterunt illi quod volent per illum: quia sicut illi non aliud volent, quam ille volet, ita ille volet quicquid illi volent: & quod ille volet, non poterit non esse. Si honor & divitiæ: Deus servos suos bonos & fideles supra multa bona constituet: immo filii Dei & Dii vocabuntur & erunt: & ubi erit unicus ejus, ibi erunt & illi hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si vera securitas: certe ita certi erunt, nunquam ullatenus illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius, Deum & illos separaturum. Gaudium vero quale quantumve est, ubi tale ac tantum bonum est!

CA-

CAPVT XXXV.

De mutua charitate Sanctorum in cœlis.

1. COr humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas & miſerias, imo obrutum miſeriis, quantum gauderes, ſi in his omnibus abundares? Interroga intima tua, ſi capere poſſint gaudium ſuum de tanta beatitudine ſua. Sed certe, ſi quis alius, quem omnino ſicut teipſum amares, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum: quia non minus gauderes pro eo, quam pro teipſo. Si vero duo, vel tres, vel multo plures idipſum haberent, tantumdem pro ſingulis, quantum pro teipſo gauderes, ſi ſingulos ſicut teipſum amares. Ergo quid erit in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum & hominum, ubi nullus diliget alium minus quam ſeipſum? Non enim aliter gaudebit unusquiſque pro ſingulis aliis, quam pro ſeipſo.

2. Si ergo cor hominis de tanto bono ſuo vix gaudium ſuum capiet, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum? Et utique, quantum quiſque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet. Et ſicut in illa beata fœlicitate unuſquiſque ſine comparatione plus amabit Deum, quam ſe, & omnes alios ſecum: ita plus gaudebit abſque æſtimatione de fœlicitate Dei, quam de ſua, & omnium aliorum ſecum. Et ſi Deum ſic diligent toto corde, tota mente, tota anima; ut tamen totum cor, tota mens, tota anima, non

non sufficiat dignitati dilectionis: profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima; ut tamen totum cor, tota mens, tota anima, non sufficiat plenitudini gaudii.

CAPVT XXXVI.

De pleno gaudio vitæ æternæ.

1. DEus meus, & Dominus meus, spes mea, & gaudium cordis mei, dic animæ meæ, si hoc est gaudium, de quo nobis per Filium tuum dicis: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Inveni namque gaudium quoddam plenum, & plusquam plenum: pleno quippe corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine, gaudio illo adhuc supra modum supererit gaudium. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium illud.

2. Dic Domine, dic servo tuo intus in corde meo: si hoc est gaudium, in quod intrabunt servi tui, qui intrabunt in gaudium Domini sui. Sed certe gaudium illud, quo gaudebunt electi tui, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Nondum ergo cogitavi aut dixi, Domine, quantum gaudebunt electi tui. Vtique tantum gaudebunt, quantum amabunt: tantum amabunt, quantum cognoscent. Et quantum te, Domine, cognoscent, quantum te amabunt? Certe nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit in hac vita, quantum te cognoscent & amabunt in illa vita.

3. Oro te, Deus meus, cognoſcam te amem te, ut gaudeam de te. Et ſi non poſſum in hac vita ad plenum, vel proficiam de die in diem uſque dum veniat illud ad plenum. Proficiat in me hic notitia tua, ut ibi fiat plena. Creſcat in me hic amor tuus, ut ibi ſit plenus; ut hic gaudium meum ſit in ſpe magnum, & ibi in te plenum. Deus verax, peto ut accipiam quod promittis, ut gaudium meum ſit plenum. Meditetur inde interim mens mea; loquatur inde lingua mea; amet illud cor meum; ſermocinetur os meum. Eſuriat illud anima mea: ſitiat illud caro mea, deſideret illud tota ſubſtantia mea, donec intrem in gaudium Domini mei: Qui eſt trinus & unus Deus benedictus in ſæcula, Amen.

Manualis finis.



MEDI-

MEDITATIONES B. ANSELMI,

Archiepiscopi Cantuariensis,

DE REDEMPTIONE generis humani.

CAPVT I.

Quid sit virtus salvationis, & ubi.

ANima Christiana, anima de gravi morte resuscitata: anima de misera servitute Christi sanguine redempta & liberata: excita mentem tuam, memento resuscitationis tuæ, recogita redemptionem & liberationem tuam. Retracta ubi & quæ sit virtus salvationis tuæ: versare in meditatione ejus: delectare in contemplatione ejus. Excute fastidium tuum: fac vim cordi tuo: intende in hoc mentem tuam. Gusta bonitatem Redemptoris tui, accendere in amorem salvatoris tui. Mande favum verborum: suge plusquam mellitum saporem: gluti salubrem dulcorem. Mande cogitando, suge intelligendo, gluti amando & gaudendo. Lætare mandendo, gratulare sugendo, jucundare glutiendo.

2. Vbi ergo, & quæ est virtus, & fortitudo Salvatoris tui? Certe Christus te suscitavit: ille bonus Samaritanus te sanavit:

ille bonus amicus anima ſua te liberavit: Chriſtus inquam. Ergo virtus ſalvationis tuæ, virtus eſt Chriſti. Vbi eſt virtus Chriſti? Vtique cornua in manibus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus. Cornua quidem in manibus ejus: quia brachiis crucis confixæ ſunt manus ejus. Quæ autem fortitudo in tanta infirmitate? Quæ altitudo in tanta humilitate? Quid venerabile in tanto contemptu? Sed certe ideo abſconditum, quia in infirmitate: & ideo celatum, quia in humilitate: ideo occultum, quia in contemptu.

3. O fortitudo abſcondita: hominem in cruce pendentem ſuſpendere mortem æternam, genus humanum prementem: hominem in ligno confixum defigere mundum perpetuæ morti affixum! O celata poteſtas: hominem damnatum cum latronibus, ſalvare homines damnatos cum dæmonibus: hominem in patibulo extenſum, omnia trahere ad ipſum! O virtus occulta: unam animam emiſſam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno; hominem mortem corporis ſuſcipere, & mortem animarum perimere!

CAPVT II.

Cur ſit occulta & tam diu dilatata.

1. CVr bone Domine, pie redemptor, potens ſalvator; cur tantam virtutem operuiſti tanta humilitate? An ut falleres diabolum, qui fallendo hominem dejecit de paradiſo? Sed utique veritas nullum fallit.

Qui

Qui ignorat, qui non credidit veritatem, ipse se fallit. Qui videt veritatem, & odit, & contemnit, ipse se fallit. Veritas itaque nullum fallit. An ideo ut ipse diabolus se falleret? Sed utique, sicut veritas nullum fallit, ita non intendit, ut aliquis se fallat: quamvis dicatur hoc facere, cum permittit. Non enim assumpsisti hominem ut te totum operires, sed ut ignotum aperires. Verum Deum, verum hominem te dixisti, & operibus ostendisti.

2. Res per se occultata fuit, non studio occulta; non sic est facta, ut absconderetur, sed ut suo ordine perficeretur; nec ut aliquem deciperet, sed ut quemadmodum oportebat, fieret. Et si dicitur occultata: non est aliud, quam, non est omnibus revelata. Nam etsi veritas non omnibus se manifestat, nulli tamen se negat. Ergo Domine, nec ut falleres, nec ut aliquis se falleret, sic fecisti: sed ut faceres, quod & quomodo faciendum erat, per omnia in veritate perstitisti. Qui ergo se fefellit in tua veritate, non de te, sed de propria queratur falsitate. An diabolus habebat aliquid juste adversus Deum, vel adversus hominem, propter quod Deus prius deberet adversus eum pro homine hoc modo agere, quam aperta fortitudine: ut dum allectum illum hominem injuste occideret, juste potestatem, quam super injustos habebat, perderet?

3. Sed certe diabolo nec Deus debebat aliquid nisi pœnam, nec homo nisi vincere. Ita ut quemadmodum ab illo se facile permisit vinci peccando, ita illum vinceret

usque ad difficultatem mortis, justitiam integram servando. Sed & hoc non nisi Deo debebat homo. Nam non peccavit adversus diabolum, sed adversus Deum: nec homo diaboli erat, sed & homo, & diabolus Dei erant. Sed & quod diabolus vexabat hominem, non hoc faciebat zelo justitiæ, sed nequitiæ; nec jubente Deo, sed permittente: non diaboli, sed Dei justitia exigente. Nihil ergo erat in diabolo, cur Deus adversus eum ad salvandum hominem, fortitudinem suam celare aut differre deberet.

CAPVT III.

Qua & cujus necessitate se sic humiliavit.

1. AN aliqua necessitas coëgit, ut altissimus sic se humiliaret, & omnipotens ad faciendum aliquid tantum laboraret? Sed omnis necessitas & impossibilitas ejus subjacet voluntati. Quippe quod vult, necesse est esse: & quod non vult, impossibile est esse; Sola ergo voluntate. Et quoniam omnis ejus voluntas semper bona est, sola fecit hoc voluntate. Non enim Deus egebat, ut hoc modo hominem salvum faceret: sed humana natura indigebat, ut hoc modo Domino Deo satisfaceret. Non egebat Deus ut tam laboriosa pateretur: sed indigebat homo, ut sic Deo reconciliaretur. Nec egebat Deus ut sic humiliaretur: sed indigebat homo, ut sic de profundo inferni erueretur. Divina natura humiliari aut laborare non equit, nec potuit: hæc omnia humanam naturam, ut ad hoc restitueretur

stitueretur propter quod facta erat, necesse erat facere: sed nec illa, nec quicquid Deus non est, poterat ad hoc sufficere. Nam homo ad quod institutus est, non restituitur, si non ad similitudinem Angelorum, in quibus nullum est peccatum, provehitur.

2. Quod est impossibile fieri, nisi omni percepta peccatorum remissione: quæ non fit, nisi præcedente integra satisfactione: quam satisfactionem talem oportet esse, ut peccator aut aliquis pro illo det aliquid Deo de suo, quod debitum non sit, quod superet omne quod Deus non est. Si enim peccare, est Deum exhonorare, & hoc homo facere non deberet, etiamsi necesse esset, quicquid est, quod Deus non est, perire: Vtique veritas immutabilis, & aperta ratio exigit ut qui peccat, reddat aliquid Deo pro honore ablato majus, quam sit hoc pro quo illum exhonorare non debuit. Quod quoniam humana natura sola non habebat, nec sine debita satisfactione reconciliari poterat: sic nec illa, nec quicquid Deus non est, ad hoc sufficeret.

3. Ne ergo justitia Dei in regno suo peccatum inordinatum relinqueret, subvenit bonitas Dei, & eam in suam personam assumpsit filius Dei: ut in ea persona esset homo Deus, qui haberet, quod superaret non solum omnem essentiam, quæ Deus non est, sed & omne debitum quod solvere peccatores debent: & hoc cum nihil pro se deberet, solveret pro aliis; qui quod debebant, reddere non habebant. Pretiosior est namque vita

hominis illius, quam omne quod Deus non est, & superat omne debitum, quod debent peccatores pro satisfactione. Si enim filii interfectio superat omnem multitudinem & magnitudinem peccatorum, quæ cogitari possunt extra personam Dei, palam est, quia vita ejus magis est bona, quam omnia peccata sint mala, quæ extra personam Dei sunt.

4. Hanc vitam, homo iste, cum ex debito mori non debebat, quoniam peccator non erat, sponte dedit de suo, ad honorem patris: cum eam sibi auferri propter justitiam permisit, ut exemplum hominibus aliis daret, justitiam Dei ab illis non esse deserendam propter mortem, quam ex necessitate aliquando solvere debent; cum iste, qui eam non debebat, & servata justitia vitare posset, eam sibi illatam propter justitiam, sponte sustineret. Dedit itaque humana natura Deo in illo homine sponte, non ex debito, quod suum erat; ut redimeret se in aliis, in quibus, quod ex debito exigebatur, reddere non habebat. In omnibus his divina natura non est humiliata, sed humana est exaltata, nec est illa imminuta, sed ista misericorditer est adjuta.

CAPVT IV.

Quomodo dicatur factus obediens, & hujuscemodi, cum sola libera voluntate hoc fecerit.

1. NEc humana natura in isto homine passa est aliquid ulla necessitate, sed sola libera voluntate. Nec alicui violentiæ succu-

ſuccubuit: ſed ſpontanea voluntate, ad honorem Dei & utilitatem aliorum hominum, quæ illi mala voluntate ſunt illata, laudabiliter & miſericorditer ſuſtinuit. Nec ulla cogente obedientia, ſed potenti diſponente ſapientia. Non enim illi homini pater, ut moreretur, cogendo præcepit: ſed ille, quod Patri placiturum & hominibus profuturum intellexit, hoc ſponte fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pater, quod ab eo exigere non debuit. Nec patri tantus honor potuit non placere, quem tam bona voluntate filius ſponte obtulit. Sic itaque patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc quod patri placiturum ſcivit, ſponte facere voluit. Denique quoniam pater illi hanc voluntatem bonam dedit, quamvis liberam, non immerito dicitur, quia eam velut præceptum patris accepit. Hoc itaque modo obediens fuit Patri uſque ad mortem. Et ſicut mandatum dedit illi Pater, ſic fecit: & calicem quem dedit illi Pater, bibit.

2. Hæc eſt enim perfecta & liberrima humanæ naturæ obedientia, cum voluntatem ſuam liberam ſponte voluntati Dei ſubdit; & cum acceptam bonam voluntatem ſine omni exactione ſpontanea libertate opere perficit. Sic homo ille redemit omnes alios, cum hoc quod ſponte dedit Deo, computat pro debito, quod illi debebant. Quo precio non ſemel tantum à culpis homo redimitur, ſed etiam quoties cum digna pœnitentia redierit, recipitur. Quæ tamen pœnitentia peccati non promittitur. Quod quoniam

in cruce factum est, per crucem noster Christus nos redemit. Qui ergo ad hanc gratiam volunt cum digno affectu accedere, salvantur. Qui vero illam contemnunt, quia debitum quod debent non reddunt, juste damnantur.

CAPVT V.

De meditatione circa hoc, & de quo gaudendum circa passionem Christi.

1. ECce anima Christiana, hæc est virtus salvationis tuæ; hæc est causa libertatis tuæ: hoc est pretium redemptionis tuæ. Captiva eras, sed hoc modo es redempta. Ancilla eras, & sic es liberata. Sic es exul reducta, perdita restituta, & mortua resuscitata. Hoc mandat, homo, hoc ruminet, hoc sugat, hoc glutiat cor tuum, cum ejusdem Redemptoris tui carnem & sanguinem accepit os tuum. Hoc fac in hac vita quotidianum panem & victum & viaticum tuum: quia per hoc, & non nisi per hoc, & tu manebis in Christo, & Christus in te; & futura vita erit plenum gaudium tuum.

2. Sed ô tu Domine, tu qui ut ego viverem mortem suscepisti: Quomodo lætabor de libertate mea, quæ non est nisi de vinculis tuis? Qualiter gratulabor de salute mea, cum non sit nisi de doloribus tuis? quomodo gaudebo de vita mea, quæ non est nisi de morte tua? An gaudebo de his, quæ passus es; & de crudelitate illorum, qui ea tibi fecerunt? Quoniam nisi illi fecissent, tu passus non esses. Et, si tu passus non esses, hæc mea bona

bona non essent. Aut si de illis dolebo; quomodo de istis, propter quæ illa fuerunt, & quæ non essent, nisi illa fuissent, gaudebo? Sed certe illorum nequitia nihil facere potuit, nisi quia tu sponte permisisti; nec tu passus esses, nisi quia pie voluisti. Illorum itaque debeo crudelitatem execrari, mortem & labores tuos compatiendo imitari: piam voluntatem tuam gratias agendo amare, ac sic secure de bonis mihi collatis exultare.

CAPUT VI.

De beneficiis homini à Christo exhibitis.

1. ERgo homuncio, illorum crudelitatem relinque Dei judicio, & tracta de his, quæ debes salvatori tuo. Considera, quid tibi erat, & quid tibi factum sit; & pensa, qui hoc tibi fecit, quo amore dignus. Intuere necessitatem tuam, & benignitatem ejus, & vide, quas gratias reddas, & quantum debeas amori ejus. In tenebris, in lubrico, in descensu subter irremeabile chaos inferni eras immersus: & quasi plumbeum pondus, pendens à collo tuo, te deorsum trahebat. Onus importabile desuper te premebat, hostes invisibiles te toto conatu impellebant. Sic eras sine omni auxilio, & nesciebas, quia sic conceptus & natus eras. O quid tibi tunc erat, & quo te ista rapiebant? Expavesce memorando; contremisce cogitando: O bone Domine Iesu Christe, sic posito, nec petenti, nec opinanti, ut Sol mihi illuxisti, & quomodo eram, ostendisti. Abjecisti

cisti plumbum, quod deorsum me trahebat: & removisti onus, quod desuper me premebat. Impellentes me repulisti, ac illis te pro me opposuisti.

2. Vocasti me nomine novo, quod mihi de tuo nomine dedisti, & incurvatum ad aspectum tuum erexisti, dicens: Confide, ego te redemi; animam meam pro te dedi. Si adhæres mihi, & mala in quibus eras, evades, & in profundum, quo properabas, non cades; sed perducam te ad regnum meum, & faciam te hæredem Dei, & cohæredem meum. Exinde accepisti me in tuitionem tuam, ut nihil noceret animæ meæ contra voluntatem suam. Et ecce, licet adhuc non adhæserim tibi, sicut consuluisti, nondum tamen in infernum me cadere permisisti: sed adhuc expectas, ut adhæream, & facias quod promisisti. Certe Domine sic eram, & hoc fecisti mihi. In tenebris eram, quia nihil nec meipsum sciebam in lubrico: quia imbecillis & fragilis ad lapsum peccati, eram in descensu super chaos inferni. Quia in primis parentibus descenderam de justitia ad injustitiam, per quam descenditur ad infernum: & de beatitudine ad temporalem miseriam, de qua caditur ad æternam miseriam.

3. Pondus originalis peccati deorsum me trahebat; & onus importabile judicii Dei me premebat: & inimici mei dæmones, ut me aliis peccatis damnabiliorem facerent, quantum in ipsis erat vehementer insistebant. Sic destituto omni auxilio, illuxisti mihi,

mihi, & quomodo eram ostendisti. Quia & cum ego nondum hoc noscere poteram; alios qui pro me nossent, & postea meipsum antequam postularem, hæc omnia docuisti; plumbum trahens, & onus gravans, & hostes impellentes rejecisti. Quia peccatum, in quo natus & conceptus eram, & damnationem ejus, amovisti, & malignos spiritus ne vim animæ meæ facerent, prohibuisti. Christianum me fecisti vocari de nomine tuo, per quod & ego confiteor, & tu cognoscis me inter redemptos tuos, & erexisti & elevasti me ad notitiam & amorem tuum. Fecisti me confidere de salute animæ meæ, pro qua dedisti animam tuam: & mihi, si te sequerer, promisisti gloriam tuam. Et ecce, cum nondum sequar te, sicut consuluisti, sed insuper multa peccata fecerim, quæ tu prohibuisti: adhuc expectas, ut te sequar, & dones quod tu promisisti.

CAPVT VII.

De gratiis agendis super his.

1. COnsidera anima mea: Intendite omnia intima mea, quantum illi debeat substantia mea tota. Certe Domine, quia me fecisti, debeo amori tuo meipsum totum; quia me redemisti, debeo meipsum totum: quia tantum promittis, debeo meipsum totum: ima tantum debeo amori tuo plus quam meipsum, quantum tu es major me, pro quo dedisti teipsum, & cui promittis teipsum. Fac (precor) Domine me gustare per amorem, quod gusto per cognitionem.

Sentiam

Sentiam per affectum, quod sentio per intellectum. Plus debeo quam meipsum totum; sed nec plus habeo, nec hoc ipsum possum per me reddere totum. Trahe me, Domine, in amorem tuum, & hoc ipsum totum. Totum quod sum, tuum est conditione: fac totum tuum dilectione.

2. Ecce, Domine, coram te est cor meum: conatur, sed per se non potest. Fac tu, quod ipsum non potest. Admitte me intra cubiculum amoris tui, peto, quæro, pulso. Qui me facis petere, fac & accipere: Das quærere, da invenire: Doces pulsare, aperi pulsanti. Cui das, si negas petenti? Quis invenit, si quærens frustratur? Cui aperis, si pulsanti claudis? Quid das non oranti, si amorem tuum negas oranti? A te habeo desiderare, à te habeam impetrare. Adhære illi, adhære importune, anima mea. Bone Domine, pie Domine, ne rejicias eam: fame amoris tui languet; refocilla eam: satiet eam dilectio tua, impinguet eam affectus tuus, impleat eam amor tuus, occupet me totum, & possideat me totum; quia es tu cum Patre & Spiritu sancto Deus solus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

B. AN-

B. ANSELMI
Archiepiscopi Cantuariensis
MEDITATIONVM LIBER.

CAPVT I.
Quænam à Deo oranda.

DOmine Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Da, Domine Deus, cordi meo pœnitentiæ compunctionem, spiritui contritionem, oculis lachrymarum fontem, manibus eleemosynæ largitatem. Rex meus, extingue in me desideria carnis, & accende vim tui amoris. Redemptor meus, expelle à me spiritum superbiæ, & concede mihi propitius thesaurum humilitatis tuæ. Salvator meus, amove à me furorem iræ; & indulge mihi sensum patientiæ. Creator meus, evelle à me animi rancorem, & largire mihi mentis dulcedinem. Da Pater clementissime, solidam mihi fidem, spem congruam, charitatem perfectam.

2. Rector meus, averte à me animi vanitatem, mentis inconstantiam, cordis vagationem, oris scurrilitatem, oculorum elationem, ventris ingluviem, opprobria proximorum, scelera

ſcelera detractionum, curioſitatis pruriginem, divitiarum cupiditatem, potentatuum rapinam, inanis gloriæ appetitum, hypocriſis malum, adulationis venenum: contemptum inopum, oppreſſionem debilium, avaritiæ ardorem, invidiæ rubiginem, blaſphemiæ morem. Reſeca in me temeritatem, meorum factorum iniquam pertinaciam: inquietudinem, ocioſitatem, ſomnolentiam, pigritiam, mentis hebetudinem, cordis cæcitatem, ſenſus obſtinationem, morum truculentiam, boni inobedientiam, conſilii repugnationem, linguæ effrenationem; pauperum prædam, impotentum violentiam, innocentum calumniam, ſubditorum negligentiam, circa ſubditos ſeveritatem, adverſus domeſticos impietatem, erga proximos duritiam.

3. Deus meus, miſericordia mea, ore te per dilectum filium tuum, da mihi opera miſericordiæ, pietatis ſtudia: compati afflictis, ſubvenire egenis, ſuccurrere miſeris: conſulere erroneis, conſolari mœſtos, relevare oppreſſos, pauperes recreare, flebiles refovere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem deſpicere, ſed honorare: bonos imitari, malos cavere, virtutes amplecti, vitia rejicere: in adverſis patientiam, in proſperis continentiam, cuſtodiam oris, & oſtium circumſtantiæ labiis meis; terrena calcare, cæleſtia ſitire.

CA-

CAPVT II.

Dei misericordiæ & bonitatis ad nostram indignitatem applicatio.

1. ECce plasmator meus, multa rogavi, cum nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, non solum quæ postulo non debentur bona, sed multa mihi debentur & exquisita supplicia. Animant me publicani, meretrices, & latrones, qui à faucibus hostis momentanee eruti, sinu recipiuntur pastoris. Tu enim omnium factor, Deus, licet in cunctis tuis sis mirabilis operibus, mirabilior tamen in visceribus crederis pietatis. Vnde tumet per quendam tuum dixisti: Miserationes ejus super omnia opera ejus. Et quasi de singulo loquens, de universo populo tuo dixisti confidenter: Misericordiam meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, nullum abjicis, nullum perhorrescis, nisi qui te forte amens exhorruerit. Ergo non modo non iratus percutis; sed te irritantibus, dona, si quæsierint, tribuis, Deus meus, cornu salutis meæ, & susceptor meus.

2. Ego infelix te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui: peccavi, & passus es: deliqui, & adhuc sustines. Si pœnitet, parcis, si revertor, suscipis; insuper dum differo, præstolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, excitas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mœrentem mulces, à ruina suscitas, post lapsum

reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, pulsanti aperis. Ecce Domine Deus salutis meæ; quid opponam, nescio, quid respondeam, ignoro: nullum confugium, nullum à te patet latibulum. Ostendisti bene vivendi viam, dedisti gradiendi scientiam, minatus es mihi gehennam, & pollicitus es paradisi gloriam. Nunc Pater misericordiarum & totius consolationis, confige timore tuo carnes meas, quatenus quæ minaris, metuendo evadam: & redde mihi propitius lætitiam salutaris tui, ut quæ spondes, diligendo participem. Fortitudo mea Domine, firmamentum meum Deus, & refugium meum, & liberator meus: suggere, quid de te cogitem: doce quibus sermonibus invocem, & quibus operibus te placeam.

3. Scio namque, scio unum quo placaris, & aliud quod non spernis. Est utique spiritus contribulatus tibi sacrificium, & acceptas cor contritum & humiliatum. His me, Deus meus, adjutor meus, dita muneribus. His contra inimicum muni protectionibus; hoc de flammis vitiorum præsta refugium: hoc à desideriorum passionibus pande pius refugium. Fac Domine virtus salutis meæ, ne sim in eorum ordine, qui credunt prospero tempore, & recedunt tentationis tempore. Obumbra caput meum in die belli: esto spes mea in die afflictionis meæ, & salus in tempore tribulationis meæ.

CAPVT

CAPVT III.

Indignitatis noſtræ exaggeratio.

1. ECce Deus illuminatio mea, & ſalus mea: rogavi quibus egeo: intimavi quæ timeo: ſed remordet me conſcientia, reprehendunt me cordis ſecreta: & quod amor miniſtrat, timor diſſipat: zelus incitat, metus increpat actæ vitæ formidinem; ſed tua ingerit pietas fiduciam. Tua hortatur benignitas, mea dehortatur malignitas; & ut verius fatear, occurrunt memoriæ phantaſmata peccatorum, quæ reverberant aciem vel audaciam præſumentium animorum. Cum enim odio quis dignus ſit, qua fronte gratiam requirit? Cum pœna debetur, qua temeritate gloria poſcitur? Laceſſit judicem, qui poſtpoſita ſatisfactione delicti, præmiis quærit honorari. Regi inſultat obnoxius ſupplicio, qui flagitat donari indebito præmio. Et dilecti patris affectum ſtultus exacerbat filius: qui poſt illatas contumelias, ante pœnitudinem hæreditatis uſurpat celſitudinem. Quod, mi pater, me egiſſe recolo: merui mortem, & vitam peto: commovi regem meum, cujus impudens nunc invoco auxilium: contempſi judicium judicis, quem temere poſtulo adjutorem: inſolens renui audire patrem, quem demum præſumo habere tutorem.

2. Heu mihi, quam ſero venio. Heu, heu, quam tarde feſtino. Heu, quia curro poſt vulnera, dedignatus incolumis præcavere jacula. Neglexi proſpicere tela, modo ſol-

licitor de morte vicina. Vulnera vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addere non timui. Recenti tabe cicatrices resperſi, quia priſca flagitia modernis inquinationibus reciprocavi: & quæ divina ſolidaverat gratia vel medicina, mea diſſolvit prurigo phrenetica. Cutis, quæ ſuperducta vulneribus morbum celaverat, ſanie erumpente putruit: quia iterata iniquitas conceſſam miſericordiam exinanivit. Novi quippe ſcriptum: In quacunque die juſtus peccaverit, omnes juſtitiæ ejus in oblivione erunt. Si juſtitia aboletur juſti ruentis, quanto magis peccatoris, in idipſum ruentis? Quoties ut canis redii ad vomitum, & ut ſus petii volutabrum? Fateri mihi itaque & recordari impoſſibile eſt, quot mortalium homines peccare ignorantes docui, nolentibus delinquere perſuaſi, reſiſtentes coëgi, volentibus conſenſi, quot ſane gradientes in laqueum duxi, viam quærentibus foveam retexi, mala patrare non horrui, donorum Dei obliviſci non metui.

3. Sed tu juſte judex, ſignaſti quaſi in ſaculo pecuniam peccata mea, & obſervaſti omnes ſemitas meas, & cunctos greſſus meos dinumeraſti. Tacuiſti ſemper, ſiluiſti, patiens fuiſti. Væ mihi, demum loqueris, quaſi parturiens. Deus deorum, Domine præſtabilis ſuper nequitiam, novi quia manifeſtus venies, novi quia non ſemper ſilebis: cum in conſpectu tuo ignis exardeſcet, & in circuitu tuo tempeſtas ingruerit valida: cum advocaveris cælum deſurſum, & terram diſcernere

cernere populum tuum. Ecce tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ. Tot agminibus patebunt scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum. Tot judicibus inops astabo, quotquot me præcesserunt in bono opere. Tot arguentibus confundar, quotquot mihi præbuerunt sancta vivendi exempla. Tot vincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seseque imitandos justis mihi dederunt sermonibus.

CAPUT IV.

Quum in nostra indignitate nihil aliud quam desperatio inveniatur: Dei sic summa bonitas atque dulcedo prædicatur.

1. DOmine mi Deus, non suppetit quod dicam: non occurrit quod respondeam: Et ecce jam illi interfum discrimini; urget me conscientia; cruciant cordis arcana; coarctat avaritia, accusat superbia, consumit invidia, inflammat concupiscentia, incestat luxuria, dehonestat gula, confutat ebrietas, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas objurgat, discordia dissipat, ira perturbat, levitas dejicit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, favor extollit, calumnia pungit. Ecce liberator meus de gentibus iracundis. Ecce cum quibus vixi à die nativitatis meæ, quibus studui, quibus fidem servavi, ipsa me studia quæ dilexeram damnant, quæ laudaveram, vituperant. Hi sunt quibus acquievi amici, quibus parui magistri, quibus servivi domini, consules quibus credidi,

didi, cives quibus cohabitavi; domestici quibus consenui.

2. Heu mihi, Rex meus, & Deus meus, quia incolatus meus prolongatus est. Væ mihi, illuminatio mea, quia habitavi cum habitantibus Cedar. Et cum sanctus dixerit, Multum, quanto magis ego infœlix dicere possum, Nimis incola fuit anima mea! Firmamentum meum, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Spes mea, non est in filiis hominum, quem si remota pietate judicaveris, justum vix invenias: & nisi præveneris miserando impium, non erit quem glorifices pium. Credo namque, salus mea, quod audivi, quomodo benignitas tua ad pœnitentiam me adducit. Turris fortitudinis, sonuerunt nectarea mihi labia tua: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Enimvero quia instruxisti me, tantaque propitius institutione formasti, totis medullis cordis, toto annisu mentis, te omnipotens pater cum dulcissimo puero, teque dulcissima proles cum serenissimo invoco paracleto. Trahe me, quatenus post te currere in odorem unguentorum tuorum delecter.

3. Quam magna, Domine Deus meus, multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! Abscondisti quia conservasti, non quia abscondisti. Abstulisti, cum eam magis multiplicasti. Solet aliquando, quod absconditur, diligentius investigari, & inventum arctius amari. Dilata in te non minuuntur, sed magis crescunt desi-

deria.

deria. Non est ergo tuus amor transitorius, sed æternus. Qui te diligunt, non tepescunt, sed ferveſcunt. Non est tuus amor ociosus: memoria tua super mel dulcis: meditatio de te, plusquam cibus suavis. De te loqui, plena est refectio: te nosse, perfecta consolatio: tibi adhærere, vita æterna: à te separari, mors perpetua. Fons vivus his, qui te sitiunt; esca indeficiens, qui te esuriunt. Gloria te quærentibus, gaudium inventibus. Odor tuus suscitat mortuos, respectus curat ægrotos; lux tua omnem fugat caliginem, visitatio tua cunctam repellit tristitiam. Nullus apud te mœror, procul à te omnis dolor; nulla tecum mœstitia, nulla indigentia: nulla, ubi es, necessitas: nullius boni est difficultas: nunquam ibi tenebræ, nec terror nominatur gehennæ: nullius noctis tetra cæcitas, nec tumultus improbitas. Nunquam famis sitisque inopia, frigoris nec æstus circa te moratur penuria; non invalitudo corporis prorsus, nec corruptio mentis; non zelus, neque contentio, nec omnino ambitio. Illinc abest solicitudo finis & cura mortis, labor senectutis, languor ægritudinis: ibi nescitur passio aëris, & varietas temporis. Hæc est enim magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, sed perfecisti sperantibus in te.

CAPVT V.

Quomodo nos Deus ad perseveranter quærendum occultorum suorum judiciorum dulcedinem incitet.

1. O Quam bona absconsio, qua efficitur perfectio. Non enim hæc absconsio æstimatur perditio, sed magis conservatio, qua fit perfectio. O glorioſe Rex, quam vera sunt tua judicia, justificata in semetipsa; vere desiderabilia super aurum & lapidem precioſum multum, utique & dulciora super mel & favum. O vita mea, Deus meus, rogo te per nomen Redemptoris mei, dilecti filii tui, largire propitius, ut custodiam ea. Cognovi namque, quia in custodiendis illis retributio multa. Gloria mea Deus, abscondis thesaurum tuum, ut incites cupidum; recondis margaritam, ut augeas quærentibus amorem; differs dare, ut doceas petere; dissimulas audire petentem, ut facias perseverantem. Postremo incipientibus quærere promittis, ut non nisi vere perseverantibus salutem tribuas; quod plane indicat illa flebilis, quæ tuum in sepulchro natum Christum, inter mortuos quærebat vivum, durantibus adhuc tenebris; quam accenderas ut quæreret, te quærenti disparebas ut perseveraret: perseveravit sperans, & speravit perseverans; & quia in spe perseveravit, videre te meruit: beata visio, & plena exultatio!

2. O summum gaudium, & consummatum desiderium, desiderabilis vultus, jucundus

dus aſpectus. O ſpes & fœlix perſeverantia nisi enim ſperaret, non perſeveraret; & niſi perſeveraret, ſpei fructum non perciperet. Sic enim Deus meus, miſericordia mea, abſconderis timentibus te, ut inveniaris ſperantibus in te: ſic elongaris quærentibus, ut appropinques perſeverantibus. Qui elongant ſe à te, peribunt: qui autem expectant te, non confundentur. Qui timent te, ſperent in te; quoniam protector & adjutor eorum es. Per timorem venitur ad amorem. Timendus es, ut Dominus; amandus, ut pater. Timor tuus ſanctus permanet; quia ſanctos permanere facit, quos poſſidet. Nihil deeſt timentibus te; quia oculi tui ſuper eos, & aures tuæ in preces eorum. Miſericordia mea & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus: ſic timorem adhibe mihi, ut amorem ſubinferas: ſic irroga metum, ut tui augeas deſiderium: ſicque me participem timentium te, ut & cuſtodientium mandata tua, facias, ut per timoris ſervitutem ad amoris pertingere merear gratiam.

3. Invoco te Deus meus, invoco te; quia prope es omnibus invocantibus te, ſed invocantibus in veritate, tu enim veritas es. Da mihi, quæſo, clementiam tuam, ſancta veritas, invocare; quia quomodo hoc fieri oporteat, neſcio: ſed doceri à te beata veritas, humiliter imploro. Abs te ſapere, deſipere eſt; te vero noſſe, perfectum eſt ſcire. Erudi me, ô divina ſapientia, & doce me legem tuam. Credo ſane, quia quem tu erudieris beatus eſt, & de lege tua docueris eum.

Desidero invocare te, quod quæso ut sit in veritate. Quid est invocare in veritate veritatem, nisi in Filio Patrem? Ergo sancte Pater, sermo tuus veritas est; principium verborum tuorum veritas. Hoc quippe est verborum tuorum principium, quod in principio erat Verbum. In ipso principio te summum adoro principium. In ipso veritatis Verbo, te perfecta invoco veritas: quod in ipsa tandem dirigas me, & doceas in veritate. Quid enim dulcius, quam genitorem in nomine unigeniti exorare? Patrem recordatione filii ad pietatem flectere? Regem charissimæ prolis denotatione mitigare? Sic rei solent carceribus eripi; sic mancipati vinculis liberari; sic tristem capitis excipientes sententiam, non solum vitam sed insuper nanciscí insolitam gratiam, dummodo iratis patribus dilectæ prolis intimaverint charitatem. Sic delinquentes servuli evadunt supplicia dominorum, dum pro eis intervenit dulcedo filiorum. Sic te Pater omnipotens per omnipotentis filii tui postulo charitatem: educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo: libera me à vinculis peccatorum, per coæternum tibi unicum natum: meque, cui propria merita lethalem minantur sententiam, preciosæ ad dexteram tuam consedentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitam.

CA-

CAPVT VI.

De vero interceſſore, atque inſtituti hujus diſpoſitore.

1. QVem alium enim dirigam interceſſorem pro me tibi, neſcio: niſi hunc, qui eſt pro peccatis noſtris propitiatio: qui ſedet ad dexteram tuam, qui etiam in communi ſibi gloria pietatem tuam interpellat pro nobis. Ecce advocatus meus apud te Deum & Patrem. Ecce Pontifex ſummus qui non eget alieno expiari ſanguine, quia proprio fulget perfuſus cruore. Ecce hoſtia ſancta, beneplacens & perfecta, in odorem ſuavitatis & oblata & accepta. Ecce agnus ſine macula, qui coram ſe tondentibus obmutuit; qui plagis cæſus, ſputis illitus, probris affectus, os ſuum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata noſtra pertulit, & languores noſtros ſuo livore ſanavit. Aſpice, pie Pater, piiſſimum filium tuum, pro me tam impio paſſum. Reſpice, Pater clementiſſime, eum qui patitur: & reminiſcere benignus, pro quo patitur.

2. Nonne hic eſt ille innocens, mi Domine, quem ut ſervum redimeres, filium tradidiſti? Nunquid non auctor vitæ hic eſt, qui ut ovis ad occiſionem ductus, tibique obediens uſque ad mortem factus, atrocis non timuit necis ſubire genus? Recole, totius ſalutis diſpoſitor, quia hic ipſe eſt, quem etſi ex tua virtute genuiſti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluiſti. Vere hæc eſt tua Deitas, quæ meam induta naturam, crucis

crucis ascendit patibulum, assumptaque carne, triste tulit supplicium. Reduc, Deus meus, oculos majestatis super opus ineffabilis pietatis; intuere dilectum natum, toto corpore extensum; cerne manus innocuas, promanantes sanguine: & remitte placatus scelera, quæ patraverunt manus meæ. Considera inerme latus, crudeli fossum cuspide, & renova me sacrosancto fonte illo, quem inde fluxisse credo. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis, & perfice gressus meos in semitis tuis. Fac me odio habere omnem viam iniquitatis: viam iniquitatis amove à me, facque me propitius viam veritatis eligere.

3. Oro te Rex sæculorum per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum; ut ei valeam spiritu uniri, qui non horruit mea carne vestiri. Nunquid non attendis, pie Pater, adolescentis filii charissimum caput, nivea cervice deflexa pretiosa resolutum in morte? Aspice, mitissime conditor, dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia; pendent crura marmorea, rigat terebratos pedes sancti sanguinis unda. Specta, gloriose genitor, gratissimæ prolis lacerata membra; & memorare benignus, quæ mea substantia. Conspice Dei hominis pœnam, & re-

& releva conditi hominis miseriam. Vide redemptoris supplicium, & remitte redempti delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licet ipse sit dilectus, in quo tibi bene complacuisti. Hic est ille innocens, in quo dolus inventus non est, & tamen cum iniquis deputatus est.

CAPVT VII.

Redemptoris innocentis, & perditi nocentis, inter se comparatio; ac hujus renovatio.

1. QVid commisisti dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti amantissime juvenis, ut sic tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ livor passionis, tui cruciatus labor. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. O mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterii dispositio! peccat iniquus, & punitur justus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exsolvit dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quo nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua deflagravit charitas? quo processit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attigit amor? quo pervenit compassio? Ego enim inique egi, tu pœna mulctaris: ego facinus admisi, tu ultione plecteris: ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris: ego

ego ſuperbivi, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens extiti, tu obediens Patri ſcelus inobedientiæ luis: ego gulæ parui, tu inedia efficeris: me ad illicitum rapuit concupiſcentia ardorem, te perfecta charitas ducit ad crucem. Ego præſumpſi vetitum, tu ſubiiſti eculeum; ego delector cibo, tu laboras in patibulo: ego fruor deliciis, tu laniaris clavis. Ego pomi dulcedinem, tu fellis guſtas amaritudinem. Mihi reo ridens congaudet Eva, tibi pie plorans compatitur Maria. Ecce Rex glorioſe, ecce impietas mea, & claret pietas tua: in mea injuſtitia, & tua liquet juſtitia.

2. Quid Deus meus, & Rex meus? Quid retribuam tibi pro omnibus quæ tribuiſti mihi? Non enim inveniri poteſt in corde hominis, quod condigne talibus referatur præmiis. Nunquid poteſt ſagacitas machinari humana, cui comparetur miſeratio divina? Nec eſt creaturæ, moliri officium, quo juſte creatoris recompenſet præſidium. Eſt autem nate Dei, in hac tua admirabili diſpoſitione, cui mea fragilitas in aliquo ſuppeditet, ſi tua viſitatione compuncta mens carnem ſuam crucifigat cum vitiis & concupiſcentiis. Et ſi hoc à te conceditur, quaſi jam tibi incipit compati vel vivere, quia & tu pro peccatoribus dignatus es mori: ſicque per interiorem victoriam hac duce armabitur ad exteriorem palmam: qua devicta perſecutione ſpiritali, non vereatur pro amore tuo ſubjici gladio materiali. Ita exiguitas conditionis, ſi tuæ complaceat pietati, magnitudini valebit pro viri-

viribus respondere conditoris. Et hoc cœlestis medicinæ, bone Iesu, hoc tui antidotum amoris.

3. Oro te per antiquas misericordias tuas, infunde visceribus meis, ut rejecta viperææ cogitationis labe, reintegret me incolumitati pristinæ: quo gustato nectare tuæ suavitatis, faciat me illecebrosa mundi prospera, toto affectu despicere, & nulla ejus adversa pro te formidare; memorque perpetuæ nobilitatis semper fastidiam ventos hujus transitorii timoris. Nihil quæso sine te mihi dulcescat, nihil complaceat, nihil pretiosum, nihil præter te arrideat speciosum. Vilescant obsecro abs te mihi omnia, sordescant universa. Quod tibi adversum est, mihi molestum sit; & beneplacitum tuum sit mihi indeficiens desiderium; tædeat me gaudere sine te, & delectet me tristari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, & memoria tua mea consolatio. Fiant mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, tuas investigando justificationes. Sit bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. Sit obedire mihi amabile, resistere execrabile. Rogo te, spes mea, per omnes pietates tuas, ut propitieris omnibus iniquitatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis; & ne declines, flagito per nomen sanctum tuum, in verba malitiæ cor meum, ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.

CA-

CAPVT VIII.

Qualiter ſeſe creatura renovata patri cæleſti in ſacrificium totam offerat, eique ad ſerviendum cupiat conſecratam.

1. ECce omnipotens Deus pater, Domine mi, diſpone benignus, quo mihi miſerearis: quomodo quidquid pretioſius inveni, devote tibi obtuli: quidquid carius reperi, ſuppliciter præſentavi. Mihi nihil reliqui, quin tuæ expoſuerim majeſtati: nihil jam ſupereſt quod adjiciam, quia totam tibi delegavi ſpem meam. Direxi tibi advocatum meum, tuum dilectum filium; miſi glorioſam progeniem inter me & te mediatorem. Miſi inquam interceſſorem, per quem confido veniam. Miſi verbis, quia pro meis dixi miſſum factis. Enumeravi ſanctiſſimæ tibi ſobolis mortem, quam pro me fuiſſe credo perpeſſam. Credo à te miſſam Deitatem, noſtram ſuſcepiſſe humanitatem: in qua dignum duxit, vincula, alapas, ſputa, irriſioneſque perferre, nec non crucem clavoſque ſuſcipere. Hanc olim infantiæ vagitibus demolitam, pueritiæ pannis aſtrictam, ſudoribus vexatam, jejuniis maceratam, vigiliis afflictam, itineribus feſſam, poſt affectam flagris, laceratam ſuppliciis, deputatam cum mortuis, ditatam vero gloria reſurrectionis, cœlorum gaudiis induxit, & in dextera tuæ celſitudinis collocavit. Tu placatio mea, & propitiatio mea. Hic intende pius, quem genueris filium, & quem redemeris ſervum. Hic aſpice factorem, & ne deſpi-

despicias facturam. Amplectere serius pastorem, & recipe misericors allatam propriis humeris ovem.

2. Hic ipse est fidelissimus pastor ille, qui dudum errabundam ovem per abrupta montium, præcipitia vallium, multis variisque quæsierat laboribus. Qui jam morienti, jam per longa exilia deficienti, tandem inventa gaudens, se supponit, & miro sibi adnisu charitatis innixam, de confusionis abysso levavit; piisque constrictam complexibus, ad nonaginta novem, unam quæ perierat deportavit ovem. Ecce Domine mi, Rex omnipotens Deus, ecce pastor bonus refert tibi ovem, quam commisisti ei. Suscepit te disponente ad salvandum hominem, quem tibi restituit omni labe immunem. Ecce tibi tuum charissimus plasma filius reconciliat, quod à te procul deviaverat. En gregi tuo mitis pastor, reformat, quod prædo violentus abegerat. Reddis tuis conspectibus servum, quem sua propria fecerat conscientia fugitivum; ut qui per se pœnam meruit, per factorem mundi mereatur veniam: quique pro culpis suis sperabat gehennam, tanto duce jam confidat revocari ad patriam. Potui per me te, sancte Pater, offendere, sed non potui per me te mihi placare. Factus est adjutor meus tuus dilectus filius, meam participans humanitatem, ut curaret infirmitatem; quatenus unde culpam emiserat offensionis, inde tibi immolaret sacrificium laudis, meque per hoc tuæ redderet pietati placabilem: quo sedens

ad dexteram tuam, ſemper me ſubſtantiæ oſtenderet eſſe conſortem. Ecce ſpes mea, ecce tota fiducia.

3. Si me pro mea, ut dignum eſt, deſpicis iniquitate, reſpice ſaltem miſertus in me pro dilectæ ſobolis charitate: in filio attende, quid propitieris in ſervo. Vide carnis ſacramentum & carnis remitte reatum. Recole, quod bonus perpeſſus eſt filius; & obliviſcere, quod malus operatus eſt ſervus. Quoties beatæ prolis tibi ſaucia patent vulnera, deliteſcant obſecro vulnera mea. Quoties rubet pretioſus ſanguis pio de latere, deleantur ſupplicio tabes meæ pollutionis. Et quia te caro laceſſivit ad iram, caro te inflectat, precor, ad miſericordiam: ut ſicut caro ſeduxit ad culpam, caro deducat ad veniam. Multum quidem eſt, quod mea meretur impietas; longe autem majus eſt, quod Redemptoris mei poſſit pietas: Magna enim eſt mea injuſtitia, multo vero major eſt Redemptoris mei juſtitia. Quanto enim ſuperior eſt Deus homine, tanto mea malitia eſt inferior bonitate ejus, ut qualitate, ita etiam quantitate. Quid enim delinquere poſſet homo, quod non Dei filius redimeret, factus homo? Quæ tantum ſuperbia tumeret, quam non tanta humilitas ſterneret? Quidnam eſſet mortis imperium, quod nati Dei non deſtrueret crucis ſupplicium? Nimirum Deus meus, ſi æqua lance iniquitas peccantis hominis, & redimentis gratia librentur authoris: non tantum oriens diſtat ab occidente, ſeu inferior ſeparatur infernus à ſummo cæli car-

cardine: quantum pietas redemptoris superat malitiam peccatoris.

4. Iam lucis optime creator, jam culpis ignosce meis, pro dilecti filii tui laboribus immensis. Iam quæso, ejus pietati mea impietas, ejus modestiæ mea perversitas, & mansuetudini donetur ferocitas. Iam sua humilitas meam superbiam; patientia ejus meam impatientiam, benignitas duritiam; obedientia inobedientiam; tranquillitas inquietudinem; dulcedo amaritudinem; suavitas iram, charitas lucrifaciat crudelem obstinationem. Iam divini amor numinis Patris omnipotentis, prolisque beatissimæ sancta communicatio, paraclete sancte Spiritus, mœrentium clementissima consolatio, Spiritus alme, jam cordis mei penetralibus potens illabere virtute: & tenebrosa quæque neglecta lucis latibula, luminis coruscifulgore, pius inhabitator lætifica; tuique roris abundantia, longe ariditatis marcescentia squalore, visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo; & tepentis jecoris medullas flammis salutaribus penetrando succende; sanctique fervoris igne illustrando, mentis & corporis universa depasce: pota tuæ voluptatis torrente, ut jam nihil mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Iudica me, & discerne de gente non sancta causam meam. Doce me, quia Deus meus es tu, facere voluntatem tuam.

5. Credo ergo quemcunque inhabaveris, in eo Patris ac pariter Filii domicilium condis. Beatus, qui te merebitur hospitem

habere: quoniam per te Pater & Filius apud eum facient manſionem. Veni jam, veni benigniſſime dolentis animæ conſolator, in opportunitatibus & tribulationibus adjutor. Veni mundator ſceleris, curator vulneris; veni fortitudo fragilium, relevator labentium. Veni doctor humilium, deſtructor ſuperborum. Veni orphanorum pius pater, conſolator miſerorum, viduarum dulcis judex. Veni ſpes pauperum, refocillator deficientium. Veni ſydus navigantium, portus naufragantium. Veni, ô omnium viventium decus ſingulare, morientium unica ſalus. Veni ſanctiſſime Spiritus, veni, & miſerere mei. Apta me tibi, & condeſcende propitius mihi: ut mea tuæ magnitudini exiguitas, tuoque robori mea imbecillitas, ſecundum tuarum multitudinem complaceat miſerationum. Per Ieſum, &c.

ORA-

ORATIONES.

1. MIserere Domine famulis & famulabus tuis N. & dirige actus eorum quotidie in bonum, & omnia peccata eorum dimitte. Et dimitte in cor eorum talem intellectum, ut ex toto corde tibi fideliter serviant, & tibi placeant, & omni tempore in tuo sancto servitio permaneant. Per Dominum nostrum.

2. Famulos & famulas tuas, quæsumus Domine, fratres & sorores meas, omnesque debitores meos, corpore pariter & mente purifica, ut in tua inspiratione compuncti, noxias delectationes vitare prævaleant. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

3. Dignus est mercenarius vel operarius mercede sua: orationibus tuis credit, & optat juvari, & sarcina peccatorum à te sublevari. Per Dominum nostrum.

Finis Meditationum B. Anselmi.

DIVI BERNARDI MEDITATIONES DEVOTISSIMÆ,

Ad humanæ conditionis cognitionem.

Alias, Liber de Anima.

CAPVT I.

De dignitate hominis.

MVlti multa sciunt, & seipsos nesciunt: alios inspiciunt, & seipsos deserunt. Deum quærunt per ista exteriora, deserentes sua interiora. quibus interior est Deus. Idcirco ab exterioribus redeam ad interiora, & ab interioribus ad superiora ascendam; ut possim cognoscere unde venio, aut quo vado, quid sim, vel unde sim: & ita per cognitionem mei valeam pervenire ad cognitionem Dei. Quanto namque in cognitione mei proficio, tanto ad cognitionem Dei accedo.

2. Secundum interiorem hominem tria in mente mea invenio, per quæ Deum recolo, conspicio & concupisco. Sunt autem hæc tria; memoria, intelligentia, voluntas sive amor. Per memoriam reminiscor, per intelligentiam intueor, per voluntatem amplec-

ctor. Cum Dei reminiscor, in memoria mea eum invenio; & in ea, de eo, & in eo delector, secundum quod ipse mihi donare dignatur. Intelligentia intueor quid sit Deus in seipso, quid in Angelis, quid in Sanctis, quid in hominibus, quid in creaturis. In se ipso est incomprehensibilis, quia principium & finis, principium sine fine, finis sine fine. Ex me intelligo, quam incomprehensibilis sit Deus, quoniam meipsum intelligere non possum, quem ipse fecit. In Angelis est desiderabilis, quia in eum desiderant prospicere. In Sanctis est delectabilis, quia in eo assidue fœlices lætantur. In creaturis est admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter gubernat, benigne dispensat.

3. In hominibus est amabilis, quia eorum Deus est, & ipsi sunt populus ejus. Ipse in eis habitat tanquam in templo suo, & ipsi sunt templum ejus. Non dedignatur singulos neque universos. Quisquis ejus meminit, eumque intelligit, ac diligit, cum illo est. Diligere eum debemus, quoniam ipse prior dilexit nos. Ad imaginem & similitudinem suam nos fecit, quod nulli alii creaturæ donare voluit. Ad imaginem Dei facti sumus, hoc est, ad intellectum & notitiam Filii, per quem intelligimus & cognoscimus Patrem, & accessum habemus ad eum. Tanta cognatio est inter nos & Dei filium quod ipse imago Dei est, & nos ad imaginem ejus facti sumus. Quam cognitionem etiam ipsa similitudo testatur: quoniam non solum ad imaginem, sed & ad similitudinem ejus fa-

ti sumus. Oportet itaque id, quod ad imaginem est, cum imagine convenire, & non in vacuum nomen imaginis participare.

4. Repræsentemus ergo in nobis imaginem ejus in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis. Teneamus eum in memoria, portemus in conscientia, & ubique præsentem veneremur. Mens siquidem nostra eo ipso ejus imago est, quo ejus capax est, ejusque particeps esse potest. Non propterea ejus imago, quia sui meminit mens, seque intelligit, ac diligit: sed, quia potest meminisse, intelligere ac diligere, à quo facta est: quod cum facit, sapiens ipsa fit. Nihil enim tam simile est illi summæ sapientiæ, quam mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam, & voluntatem, in illa Trinitate ineffabili consistit. Consistere autem in illa non potest, nisi ejus meminerit, eamque intelligat, ac diligat. Meminerit itaque Dei, ad cujus imaginem facta est; eumque intelligat, diligat atque colat, cum quo potest semper esse beata.

5. Beata anima, apud quam Deus requiem invenit, & in cujus tabernaculo requiescit. Beata, quæ dicere potest: Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, negare siquidem requiem cæli ei non poterit. Cur ergo nos deserimus, & in his exterioribus Deum quærimus, qui apud nos est, si nos velimus esse apud Deum? Revera nobiscum est, & in nobis: sed adhuc per fidem, donec videre mereamur per speciem. Novimus, inquit Apostolus, habitare Christum per

per fidem in cordibus noſtris; quia Chriſtus in fide, fides in mente, mens in corde, cor in pectore. Per fidem ergo recolo Deum creatorem, adoro redemptorem, expecto ſalvatorem: credo videre in omnibus creaturis, habere in ſemetipſo; & quod his omnibus ineffabiliter jucundius atque beatius eſt, cognoſcere in ſeipſo. Patrem namque & filium cum ſancto Spiritu cognoſcere, vita eſt æterna, beatitudo perfecta, ſumma voluptas.

6. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quanta claritas, quanta ſuavitas, & quanta jucunditas maneat nos in illa viſione; quando Deum facie ad faciem videbimus, qui eſt lux illuminatorum, requies exercitorum, patria redeuntium, vita viventium, corona vincentium. Ita in mente mea, quandam imaginem illius ſummæ Trinitatis invenio, ad quam ſummam Trinitatem recolendam, inſpiciendam & diligendam, ut ejus recorder, ea delecter, & eam complectar & contempler, totum id quod vivo, debeo referre. Mens imago Dei eſt, in qua ſunt tria; id eſt, memoria, intellectus, & voluntas. Memoriæ attribuimus omne quod ſcimus; etiamſi non inde cogitemus. Intelligentiæ tribuimus omne, quod verum cogitando invenimus, quod etiam memoriæ commendamus. Per memoriam Patri ſimiles ſumus; per intelligentiam, Filio; per voluntatem, Spiritui ſancto. Nihil in nobis tam ſimile Spiritui ſancto eſt, quam voluntas, vel

amor, sive dilectio, quæ excellentior voluntas est. Dilectio namque donum Domini est, ita quod nullum hoc dono Dei est excellentius. Dilectio namque quæ ex Deo est, & Deus est, proprie Spiritus sanctus dicitur, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per quem tota Trinitas in nobis habitat.

CAPVT II.

De miseria hominis, horrore mortis, & districtione supremi judicis.

1. SEcundum exteriorem hominem, de parentibus illis venio, qui me ante fecerunt damnatum, quam natum. Peccatores peccatorem in peccato suo genuerunt, & de peccato nutriverunt. Miseri miserum in hanc lucis miseriam induxerunt. Nihil ex eis habeo, nisi miseriam, & peccatum, & corruptibile hoc corpus, quod gesto. Ad illos vero festino, qui morte corporis hinc exierunt. Cum eorum sepulchra respicio, non invenio in eis nisi cinerem & vermem, fætorem & horrorem. Quod ego sum, ipsi fuerunt: & quod ipsi sunt, ego ero. Quid sum ego? Homo de humore liquido. Fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus: deinde spuma illi coagulata modicum crescendo caro facta est. Postea plorans & ejulans traditus sum hujus mundi exilio; & ecce jam morior plenus iniquitatibus, & abominationibus. Iam jam præsentabor ante districtum judicem, de operibus meis rationem redditurus.

2. Væ

2. Væ mihi misero, cum venerit dies illa judicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus & cogitationes, Domino præsentandæ, recitabuntur. Tunc demisso capite, præ confusione malæ conscientiæ, in judicio coram Domino stabo trepidus & anxius; utpote commemorans scelerum commissa meorum. Et cum dicetur de me: Ecce homo & opera ejus; reducam ante oculos omnia delicta & peccata mea. Quadam namque vi divina fiet, cuique sua opera, bona vel mala, in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul & singuli, & omnes judicentur.

Iudicium faciet gestorum quisque suorum.
Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Quod enim nunc confiteri erubescimus, tunc omnibus manifestabitur: & quicquid hic dissimulando palpamus, totum illic vindex flamma comburet.

Ignis ubique ferox ruptis regnabit habenis.

Quantoque diutius Deus nos expectat, ut emendemus, tanto districtius judicabit, si neglexerimus.

3. Cur ergo tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto amplius vivimus, tanto plus peccamus? Quanto est vita longior, tanto culpa numerosior. Quotidie namque crescunt mala & subtrahuntur bona; assidue variatur homo per prospera & adversa, & ignorat quando moriatur. Sicut enim in cælo stella coruscans velociter currit, & repente deficit; & sicut scintilla ignis subito extinguitur, & in cinerem redigitur: *Sic*

Sic cito finitam datur istam cernere vitam.

Dum enim libenter ac jocundissime moratur homo in mundo, diuque se victurum arbitratur,

Ac multa in longum disponit tempus agenda,

subito rapitur in mortem, & ex improviso anima aufertur à corpore. Verumtamen, cum magno metu, magnisque doloribus, anima separatur à corpore. Veniunt enim Angeli assumere illam, ut perducant eam ante tribunal judicis metuendi. Et tunc illa memorans opera sua mala & pessima, quæ diu noctuque gessit, contremiscit, & quærit illa fugere, induciasque petere, dicens: Date mihi vel unius horæ spatium.

4. Tunc quasi loquentia simul opera dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus: non te deseremus, sed tecum semper erimus, tecum pergemus ad judicium. Vitia quoque multis & multiplicibus criminibus eam accusabunt, multaque falsa testimonia adversus illam invenient, quanquam vera ad damnationem ejus satis possent sufficere. Dæmones vero terribili vultu & horribili aspectu eam terrebunt. Ingenti furore eam persequentur & comprehendent, tam terribiliter quam horribiliter, volentes retinere & possidere, nisi sit qui eripiat. Tunc anima inveniens oculos clausos, & os, alioque corporis sensus, per quos solebat egredi & delectari in his exterioribus, revertetur ad se, & videns se solam & nudam, ingenti horrore concussa, desperatione deficiet in se, & cadet sub se. Et quia amore mundi & carnis

nis voluptate, Dei amorem dereliquerat; derelinquetur à Deo misera, in hora tantæ necessitatis, atque dæmonibus tradetur in inferno crucianda. Sic anima peccatoris in die qua ignorat, & hora qua nescit, rapitur à morte, & segregatur à corpore, pergitque miseriis plena, tremens & dolens. Et cum nullam excusationem habeat, quam pro peccatis suis possit obtendere, contabescit & pertimescit ante Deum apparere.

4. Ingenti horrore concutitur, & multiplicibus cogitationum æstibus agitatur, cum urgente solutione carnis, & subductis è medio omnibus, se & illum terminum considerat, cui appropinquat, & post paululum hoc invenit, quod in perpetuum mutari non poterit. Considerat plane, quam districtus veniat æternus judex; & ante severitatem tantæ justitiæ quas rationes vitæ suæ ponat. Si enim cuncta opera, quæ intelligere potuit, devitavit; ventura tamen coram districto judice, illa magis quæ in semetipsa non intelligit, pertimescit. Crescit pavor cum cogitat, quod viam vitæ hujus nequaquam sine culpa transire potuit. Nec hoc quidem, quod laudabiliter vixit, sine aliquo reatu est, si remota pietate judicetur. Quis enim considerare valeat, quanta mala per momenta temporum perpetramus, & quanta bona facere negligimus? Sicut enim peccatum est perpetratio mali, sic delictum est desertio boni. Gravis siquidem jactura est, cum nec bona facimus, nec bona cogitamus, sed cor nostrum per vana & inuti-

inutilia ſinimus vagari. Nimis tamen difficile eſt cor tenere, & ab illicita cogitatione ſervare. Nimis etiam difficile eſt terrenas occupationes abſque peccatis miniſtrare. Quapropter nullus ſemetipſum dijudicare & comprehendere perfecte poteſt: ſed multis cogitationibus occupatus, ſibimetipſi aliquo modo manet incognitus, ut omnino quod tolerat, neſciat. Propterea urgente exitu ſubtiliori terretur metu, quia etſi illa quæ ſcivit, nunquam ſe prætermiſiſſe meminit, formidat tamen ea quæ neſcit.

CAPVT III.

De dignitate animæ & vilitate corporis.

1. O Anima, Dei inſignita imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata fide, dotata ſpiritu, redempta ſanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, unde iſta pateris? Propter carnem, aliena peccata tibi imputantur: & tuæ juſtitiæ quaſi pannus menſtruatæ reputantur: atque tu ipſa ad nihilum es redacta, & quaſi nihilum & inane reputata: Nihil aliud eſt caro (cum qua tanta eſt tibi ſocietas) niſi ſpuma caro facta, fragili veſtita decore: ſed erit, quando erit cadaver miſerum & putridum, cibus vermium. Nam quantumcumque excolatur, ſemper caro eſt. Si diligenter conſideres, quid per os, & nares, cæteroſque corporis meatus egrediatur, vilius ſterquilinium nunquam vidiſti. Si ſingulas ejus miſe-

rias

rias enumerare velis, quam sit onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, & in omne vitium proclivis, plenam omni confusione & ignominia invenies. Propter carnem homo vanitati similis factus est, quia ex illa vitium concupiscentiæ traxit, quo captivus tenetur & incurvatur, ut diligat vanitatem, & iniquitatem operetur.

2. Attende, homo, quid fuisti ante ortum, & quid es ab ortu usque ad occasum; atque quid eris post hanc vitam. Profecto fuit, quod non eras: postea de vili materia factus, & vilissimo panno involutus, menstruali sanguine in utero materno fuisti nutritus, & tunica tua fuit pellis secundina:

Sic indutus & ornatus progressus es ad nos;
Nec memor es, quam sit vilis origo tui.
Forma, favor populi, fervor juvenilis, opesque
Subripuere tibi noscere quid sit homo.

Nihil aliud est homo, quam sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium.

Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror:
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Cur ergo superbis, homo, non attendens quod fuisti vile semen, & sanguis coagulatus in utero? deinde miseriis hujus vitæ expositus & peccato, postea vermis, & cibus vermium futurus in tumulo? Quid superbis, pulvis & cinis, cujus conceptus culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori angustia?

Unde superbit homo, cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori?

Cur

Cur carnem tuam precioſis rebus impinguas, & adornas, quam poſt paucos dies vermes devoraturi ſunt in ſepulchro? animam vero tuam non adornas bonis operibus, quæ Deo & Angelis ejus præſentanda eſt in cælis?

3. Quare animam tuam vilipendis, & ei carnem præponis? Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abuſio eſt. Totus quidem iſte mundus ad unius animæ precium æſtimari non poteſt. Non enim pro toto mundo Deus animam ſuam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo eſt animæ precium, quæ non niſi ſanguine Chriſti redimi potuit. Quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam? Nonne Dei filius, cum eſſet in ſinu Patris, à regalibus ſedibus pro ea deſcendit, ut eam liberaret à poteſtate diaboli? Quam cum vidiſſet peccatorum funibus irretitam, jam jamque dæmonibus tradendam, ut morte perpetua damnaretur: flevit ſuper illam, quæ flere ſe neſciebat. Nec ſolum flevit, ſed etiam occidi ſe permiſit, ut pretioſo ſanguinis ſui pretio eam redimeret.

Aſpice mortalis, pro te datur hoſtia talis.

Agnoſce homo, quam nobilis eſt anima tua, & quam gravia fuerunt ejus vulnera, pro quibus neceſſe fuit Chriſtum Dominum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. Noli ergo vilipendere animæ tuæ paſſionem, cui à tanta maje-

majestate tantam vides exhiberi compassionem. Fudit ipse lachrymas pro te; lava & tu per singulas noctes lectum tuum cordis compunctione, & lachrymarum assiduitate. Fudit ipse sanguinem suum; funde & tu tuum quotidiana corporis afflictione. Quem si semel ponere pro Christo non potes, saltem mitiori quodam, sed longiori martyrio, pone. Noli attendere quid caro velit, sed quid spiritus poscit. Tunc enim glorioſus erit, cum ad Deum suum redierit: ita tamen si de corpore nullum peccatum secum tulerit, & deterserit omne sordidum.

4. Si vero dices, Durus est hic sermo; non possum mundum spernere, & carnem meam odio habere.: dic mihi, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? Nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes. Attende diligenter quid sunt, vel quid fuerunt. Homines fuerunt sicut tu; comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, & illic anima ignibus deputatur, donec rursus infœlici collegio colligati, sempiternis involvantur incendiis, qui socii fuerunt in vitiis. Vna namque pœna implicat, quos unus amor in crimine ligat. Quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falsæ divitiæ, magna familia, & mala concupiscentia? Vbi risus, ubi jocus, ubi jactantia, ubi arrogantia? De tanta lætitia, quanta tristitia! Post tantillam voluptatem, quam gravis

miseria! De illa exultatione ceciderunt in magnam miseriam, in grandem ruinam, & in magna tormenta. Quicquid illis accidit, tibi accidere potest; quia homo es. Homo de humo, limus de limo. De terra es & de terra vivis, & in terram reverteris; quando venerit dies illa ultima, quæ subito venit, & forsitan hodie erit. Certum est, quia morieris; sed incertum, quando, aut quomodo, vel ubi. Quoniam mors ubique te expectat: tu quoque si sapiens fueris, ubique eam expectabis. Si carnem sequeris, punieris in carne. Si in carne delectaris, cruciaberis in carne. Si curiosas vestes requiris, pro ornatu vestium subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Iustitia enim Dei aliud judicare non potest, nisi quod merentur opera nostra. Qui enim plus diligit mundum quam Deum, sæculum quam claustrum, gulam quam abstinentiam, luxuriam quam castitatem; sequitur diabolum, & ibit cum eo in supplicium æternum.

5. Quis putas tunc mœror erit, quis luctus, quæ tristitia, cum separabuntur impii à consortio Sanctorum, & visione Dei; & traditi in potestatem dæmonum, ibunt cum ipsis in ignem æternum, ibique semper erunt sine fine in luctu & gemitu? Procul quippe à beata Paradisi patria exulati, cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi, sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde unquam liberandi. Vbi nec qui torquet

quet aliquando fatigatur; nec qui torquetur aliquando moritur. Sic enim ignis ibi consumit, ut semper reservet: sic tormenta aguntur, ut semper renoventur. Iuxta vero qualitatem culpæ, pœnam sustinebit unusquisque gehennæ: & similis culpæ rei suis similibus jungentur cruciandi. Nihil aliud ibi audietur, nisi fletus & planctus, gemitus & ululatus, mœrores atque stridores dentium: nihilque ibi videbitur, nisi vermes, & larvales facies tortorum, atque teterrima monstra dæmonum.

Vermes crudeles mordebunt intima cordis.
Hinc dolor, inde pavor, gemitus, stupor, & timor horrens.

Ardebuntque miseri in igne æterno, in æternum & ultra. In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis, sine spe veniæ & misericordiæ. Sic tamen morientur, ut semper vivant: & sic vivent, ut semper moriantur. Ita anima peccatoris, aut in inferno pro peccatis cruciatur; aut in Paradiso pro bonis meritis collocatur. Nunc ergo alterum è duobus eligamus, aut semper cruciari cum impiis, aut perpetualiter lætari cum Sanctis. Bonum siquidem & malum, vita & mors, ante nos sunt posita; ut ad quod voluerimus, manum extendamus. Si tormenta non terrent nos, saltem invitent præmia.

CAPVT IV.

De præmio patriæ cœlestis.

1. PRæmium est videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus: habere Deum, qui est summum bonum. Et ubi est summum bonum, ibi est summa fœlicitas, summa jucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, & secura æternitas. Ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo.

Est ibi pax, pietas; bonitas, lux, virtus, honestas,
Gaudia, lætitia; dulcedo, vita perennis,
Gloria, laus, requies, amor & concordia dulcis.

Sic cum Deo homo beatus erit, in cujus conscientia peccatum inventum non fuerit. Videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem, sic cognoscendi facilitatem, & quiescendi fœlicitatem. Civis siquidem erit illius sanctæ civitatis, cujus Angeli cives sunt, Deus Pater templum, Filius ejus splendor, Spiritus sanctus charitas. O civitas cœlestis, mansio secura, patria fertilis & ampla, totum continens quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes. Quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei: sicut lætantium omnium habitatio est in te. Omnes lætantur in lætitia & exultatione, omnes delectantur de

de Deo, cujus aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum. Ipse per se placet, & per se sufficit ad meritum: sufficit ad præmium, nec extra illum quicquam quæritur: quia totum in illo invenitur quicquid desideratur. Semper libet eum aspicere, semper habere, semper in illo delectari, & in illo perfrui. In illo clarificatur intellectus, & purificatur affectus ad cognoscendam & diligendam veritatem. Et hoc est totum bonum hominis, nosse scilicet & amare creatorem suum.

2. Quæ ergo nos angit vesania, vitiorum sitire absynthium, hujus mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium; & non magis convolare ad sanctorum fœlicitatem, ad Angelorum societatem, ad solemnitatem supernæ lætitiæ, & ad jucunditatem contemplativæ vitæ; ut possimus intrare in potentias Domini, & videre superabundantes divitias illas bonitatis ejus? Ibi vacabimus & videbimus, quam dulcis est Dominus, & quam magna multitudo dulcedinis ejus. Videbimus gloriæ decorem, Sanctorum splendorem, & regiæ potestatis honorem. Cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti benignissimam clementiam: & ita habebimus notitiam illius summæ Trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus; imagines etiam corporum, spiritu cernimus; tunc vero ipsam Trinitatem puro mentis intuitu

videbimus. O beata visio, videre Deum in seipso, videre in nobis, & nos in eo, fœlici jucunditate, & jucunda fœlicitate! Quicquid desiderabimus, totum habebimus, nihil amplius desiderantes. Et quicquid videbimus, amabimus, ipso amore beati. Beati dulcedine amoris, & suavitate contemplationis: hæc erit summa illius contemplationis: hæc erit summa illius fœlicitatis. Quoniam intelligetur in suo puro esse sincera divinitas, comprehendetur in ea incomprehensibilis Trinitas. Patebunt arcana divinitatis, videbitur & amabitur Deus; & hæc visio & delectatio, totum cor hominis implens & satians, tota erit illius beatitudinis consummatio. Vna erit omnium lingua, jubilatio indefessa, unus affectus, amor æternus. Patebit veritas, implebitur charitas, & erit integra corporis & animæ societas, fulgebit sicut Sol humanitas glorificata. Quieta erit & concors carnis & spiritus societas. Angelorum & hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum convivium. Non languebit amor, nec liquefiet dilectio. Præsentibus omnibus bonis, nulla erit dilationis afflictio; quoniam beatifica divinæ majestatis præsentia, omnibus erit omnia: & erit communis omnium omnipotentia, sapientia, pax, justitia, & intelligentia. Non erit in illa pace diversitas linguarum, sed pacifica & concors concordia morum & affectuum. In torrente illius voluptatis, nihil ultra appetet cumulata satietas; tanta erit fœlicitas. Ibi siquidem erit cumulus fœlicitatis, supere-

pereminens gloria, & ſuperabundans lætitia.

3. Sed ad hæc quis idoneus? Profecto verus pœnitens, bonus obediens, amabilis ſocius, fidelis ſervus. Verus pœnitens ſemper in labore & dolore dolet de præteritis, laborat pro futuris cavendis. Vera ſiquidem pœnitentia eſt, ſine temporis intermiſſione de peccatis dolere; ſic plangere commiſſa, ut non committantur plangenda. Irriſor namque eſt & non verus pœnitens, qui adhuc agit quod pœniteat. Si ergo vis verus pœnitens eſſe, ceſſa à peccato, & noli amplius peccare: quoniam inanis eſt pœnitentia, quam ſequens coinquinat culpa. Omnis bonus obediens dat ſuum velle & ſuum nolle, ut poſſit dicere: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Paratum quodcunque præceperis facere: paratum ad nutum, nutu citius obedire: paratum tibi vacare, proximis miniſtrare, meipſum cuſtodire, & in cæleſtium contemplatione requieſcere. Amabilis ſocius omnibus eſt officioſus, & nulli oneroſus. Omnibus eſt officioſus; quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, ſobrius ad mundum: Domini ſervus, proximi ſocius, mundi Dominus: Superiora habet ad gaudium, æqualia ad conſortium, inferiora ad ſervitium. Nulli eſt oneroſus, ſed inferiora redigit ad utilitatem mediorum, & ad honorem ſuperiorum; ſuperiora ſequens, inferiora trahens; ab illis poſſeſſus, iſta poſſidens. Fidelis ſervus eſt in contemplatione Dei, & cuſtodia ſui.

4. Cuſtodiæ ergo tuæ adhibe prius omnem diligentiam: deinde intelligens te nunquam poſſe ſufficere ad te cuſtodiendum tua induſtria, divinam implora clementiam: itemque ad contemplandam in te Creatoris tui voluntatem bonam & beneplacentem atque perfectam, Angelicam exora tutelam; patrociniumque omnium cum Chriſto regnantium ſuper te roga: curre per ſingulos, ſupplica ſingulis, & ſimul omnibus clama, & dic: Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, recipite fugitivum veſtrum, ſed fratruelem, ſed conſanguineum in ſanguine Redemptoris. En, pauper ſtat ad oſtium, clamat & pulſat: Aperite pulſanti, & conducite eum uſque ad Regem; ut proſtratus coram eo, indicem ei omnes miſerias & omnes neceſſitates, quas patior. Ad extremum vero, Prælato tuo cor tuum cum omni ingenio conſigna: nullum in eo remaneat peccatum, quod non pura confeſſione deleatur. Ieſum Chriſtum etiam ſuper cor tuum ſicut ſignaculum pone. Cum enim Chriſtus cordis oſtium cuſtodit, & eſt cordis oſtiarius, ut per illum ingrediantur & egrediantur omnes familiæ cordis, conſequenter adſunt millia millium Angelorum, ad fores exteriorum ſenſuum excubantium: nec audet alienigena irrumpere terribiles illas acies, propter oſtiarii reverentiam & Angelorum cuſtodiam.

CA-

CAPVT V.

De quotidiano sui ipsius examine.

1. INtegritatis tuæ curiosus explorator, vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, quantum deficias; qualis sis in moribus, & qualis in affectibus; quam similis sis Deo, vel quam dissimilis; quam prope, vel quam longe, non locorum intervallis, sed morum affectibus. Stude cognoscere te; quia multo melior & laudabilior es, si te cognoscis, quam si te neglecto cognosceres cursum siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium; & haberes omnium cælestium & terrestrium scientiam. Redde ergo te tibi: & si non semper vel sæpe, saltem interdum. Rege tuos affectus, dirige actus, corrige gressus. In te nihil remaneat indisciplinatum: pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te tanquam ante alium, & sic temetipsum plange. Plora iniquitates & peccata, quibus Deum offendisti: indica ei miserias tuas, ostende illi malitiam adversariorum tuorum. Cumque coram eo in lachrymis te maceraveris, precor te, ut memor sis mei.

2. Ego enim ex quo cognovi te, in Christo diligo te; & illuc mentionem tui defero, ubi & illicita cogitatio supplicium, & honesta promeretur Præmium. Ad altare namque Dei cum peccator sto, sed sacerdos, tui me comitatur memoria. Tu vero mihi vicem

reddes, si me amaveris, & orationum tuarum participem feceris. Ibi recordatione tecum esse præsens desidero, ubi pro te, & tuis familiaribus, devotas preces coram Deo fundis. Nec mireris, si dixi, præsens: quoniam, si me amas, & ideo amas quia imago Dei sum, ita tibi præsens sum, ut tu ipse tibi. Quicquid enim tu es substantialiter, hoc ego sum. Imago enim Dei est omnis anima rationalis. Proinde, qui in se imaginem Dei quærit, tam proximum quam se quærit. Et qui illam in se quærendo invenerit, in omni homine eam cognoscit. Visio enim animæ intellectus est. Si ergo te vides, me vides, qui nihil aliud sum, quam tu. Et si Deum diligis, me imaginem Dei diligis; & ego Deum diligendo, diligo te. Et ita dum unum quærimus, & ad unum tendimus, semper invicem præsentes sumus, sed in Deo, in quo nos diligimus.

CAPVT VI.

De attentione Orationis tempore habenda.

1. CVm ad adorandum sive ad psallendum Ecclesiam intraveris, fluctuantium cogitationum tumultus exterius relinque, curamque exteriorum penitus oblivisce re, ut soli Deo possis vacare. Fieri enim non potest, ut aliquando cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur. Intende ergo illi, qui intendit tibi: audi illum loquentem tibi, ut ipse exaudiat te loquentem sibi. Ita fiet, si divinis laudibus solvendis, debita reverentia & solicitudine assistas,

assistas, super singula verba divinæ scripturæ diligenter intendas. Non quod ego ista faciam dico, sed quod facere vellem: & non feciſſe pœnitet, & non facere piget. Tu vero, cui major gratia conceſſa eſt, votis & devotis precibus pias aures Domini ad te flecte; lachrymis & ſuſpiriis pro tuis exceſſibus illum clementer exora; atque canticis ſpiritualibus, in omnibus operibus ſuis illum lauda & glorifica. Nil enim magis ſupernis civibus ſpectare libet, nil Regi ſummo jucundius exhibetur ſicut ipſe teſtatur: Sacrificium laudis honorificabit me. O quam fœlix eſſes, ſi ſpiritualibus oculis ſemel intueri poſſes, quomodo præveniunt principes, conjuncti pſallentibus in medio juvenculatum tympaniſtriarum? Videres procul dubio, qua cura, quove tripudio interſunt cantantibus, aſſiſtunt orantibus, adſunt meditantibus, ſuperſunt quieſcentibus, providentibus atque procurantibus præſunt. Diligunt ſiquidem ſuos concives ſupernæ poteſtates; & pro iis, qui hæreditatem capiunt ſalutis, ſolicite congaudent, omnes confortant, inſtruunt, protegunt, providentque omnibus. Omnes enim ipſi deſiderant adventum noſtrum, quoniam ipſi de nobis expectant civitatis ſuæ ruinas reſtaurari. Diligenter quærunt, & audiunt libenter bona de nobis, ſoliciti diſcurrunt, medii inter nos & Deum, noſtros gemitus fideliſſime ad eum portantes, ipſiuſque gratiam devotiſſime ad nos reportantes. Non dedignabuntur eſſe ſocii noſtri, qui jam facti ſunt miniſtri

ſtri noſtri. Exultare eos fecimus, quando converſi ſumus ad pœnitentiam. Feſtinemus ergo de nobis eorum lætitiam adimplere.

2. Væ tibi quicunque es, qui deſideras redire ad vomitum, reverti ad lutum. Putaſne placatos eos habebis in judicio, quos tanto & tam ſperato privare vis gaudio? Exultaverunt, quando venimus ad religionem, tanquam ſuper his, quos ab ipſa inferni porta cernerent revocari. Quid vero tunc erit, ſi ab ipſa janua Paradiſi viderint redire, & retrorſum abire eos, qui jam alterum pedem habebant in cælo? Nam tametſi corpora noſtra inferius ſunt, corda tamen ſurſum habemus. Curramus ergo non paſſibus corporis, ſed affectibus mentis, ſed deſideriis, ſed ſuſpiriis; quoniam non ſolum Angeli, ſed & Angelorum creator nos expectat. Expectat nos Deus Pater tanquam filios & hæredes ut conſtituat nos ſuper omnia bona ſua: Expectat nos Dei Filius, tanquam fratres & cohæredes, ut fructum ſuæ nativitatis & pretium ſui ſanguinis Deo Patri offerat. Expectat nos Spiritus ſanctus; ipſe ſiquidem eſt charitas & benignitas, in qua ab æterno prædeſtinati ſumus; nec dubium, quin prædeſtinationem ſuam adimpleri velit. Ergo quia omnis cæleſtis curia expectat nos, & deſiderat; deſideremus eam, quanto poſſumus deſiderio. Cum magna namque confuſione & rubore ad illam veniet, quiſquis videre eam vehementer non deſiderat. Quicunque vero jugi oratione &

aſſi-

assidua cogitatione in illa conversatur; & securus hinc egredietur, & cum magna lætitia recipietur in illam. Vbicunque ergo fueris, intra temetipsum ora. Si longe fueris ab oratorio, noli quærere locum, quoniam tu ipse locus es. Si fueris in lecto, aut in alio loco, ora, & ibi est templum.

3. Frequenter orandum, & flexo corpore mens est erigenda ad Deum. Sicut enim nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia: Sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Sed dicis: Ego quotidie oro, & orationis meæ nullum fructum video; sed sicut accedo ad illam, sic & redeo: nemo mihi respondet, nemo loquitur, nemo quippiam donat, sed in cassum laborasse videor. Sic loquitur humana stultitia, non attendens, quid inde Veritas promittat, dicens: Amen dico vobis; quia quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Noli ergo vilipendere orationem tuam, quoniam ille ad quem oras, non vilipendit eam: sed antequam egrediatur de ore tuo, ipse scribi eam jubet in libro suo. Et unum è duobus indubitanter sperare debemus, quoniam aut dabit nobis quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius. Cogita itaque de Deo, quicquid melius potes; & de te, quicquid deterius vales. De illo amplius credere debes, quam cogitare potes. Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidisse.

Omnis

Omnis siquidem res aliena est à nobis, tempus autem tantum nostrum est. Vaca ergo; & ubicunque fueris, tuus esto. Noli te tradere, sed commodare. Quocunque loco consistis, cogitationes tuas jacta in Deum, & aliquid salutare in animo tuo versa. Omnis siquidem locus ad meditandum congruus est. Tota ergo facilitate animum colligens, libere tecum habita; & in latitudine cordis tui deambulans, ibidem cænaculum grande stratum Christo exhibe. Mens namque sapientis semper est apud Deum. Illum semper ante oculos habere debemus, per quem sumus, vivimus & sapimus. Ipsum namque ut essemus, habemus authorem; ipsum etiam ne sapientes simus, debemus habere doctorem; & ut beati simus, internæ suavitatis largitorem. Et in hoc imaginem ejus, hoc est, illius summæ Trinitatis, in nobis cognoscimus. Nam sicut ille est, & sapiens est, & bonus est: sic & nos pro modulo nostro & sumus, & nos esse scimus, & id esse & nosse diligimus.

4. Vtere igitur teipso velut Dei templo, propter illud quod in te est simile Deo. Honor siquidem Deo summus est, illum venerari & imitari. Imitaris, si pius es. Templum enim sanctum est Deo, mens pia; & altare optimum, cor ejus. Veneraris, si misericors es, sicut ipse omnibus misericors est. Hostia siquidem acceptabilis est Deo, facere bonum omnibus pro Deo. Fac omnia sicut filius Dei, ut dignus sis eo, qui te dignatus est filium vocare. In omnibus vero quæ agis,

agis, Deum esse præsentem cognosce. Cave ergo, ne in eo quod male delectat, vel visio tua vel cogitatio tua te moretur. nec dicas neque facias quod non licet, etiam si libet; nec aliquo facto vel signo Deum offendas, qui ubique præsens cernit quicquid facis. Magna custodia tibi necessaria est, quoniam ante oculos judicis vivis, cuncta cernentis. Cum illo tamen semper es securus, si talem te præparaveris, ut tecum adesse dignetur. Si tecum non est per gratiam, adest per vindictam. Sed væ tibi, si ita tecum est. Imo væ tibi, ita tecum non adest. Illi namque irascitur Deus, quem peccantem non flagellat. Nam quem flagellando non emendat, in futuro damnat.

CAPUT VII.

De custodia cordis, & studio orationis.

1. CErtum est, quoniam mors ubique minatur tibi: diabolus insidiatur, ut rapiat animam tuam, quando egredietur de corpore. Tu vero noli timere: quoniam Deus, qui in te habitat, (si tamen in te habitat) eripiet te & à morte, & à dæmone. Fidelis enim socius est, nec deserit sperantes in se, nisi ipse prior deseratur. Deseritur autem, cum cor per pravas & inutiles cogitationes vaga mente discurrit. Idcirco omni solicitudine & custodia illud custodire & tenere debes, ut in illo Deus requiescere possit. In omni namque creatura, quæ sub sole mundi vanitatibus occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihil

Deo

Deo ſimilius reperitur. Quapropter nihil aliud quærit à te, niſi cor tuum. Munda ergo illud per puram confeſſionem, & aſſiduam orationem; ut mundo corde Deum videre poſſis, per continuam Dei circumſpectionem. In omni loco eſto ei ſubjectus & intentus; & compone mores tuos, ut ſis in te placatus. Dilige omnes homines, & omnibus te amabilem exhibe, ut ſis pacificus, & Dei filius. Sic eris bonus monachus, ſanctus, humilis, & rectus: & cum talis fueris, memento mei.

2. Væ mihi, qui iſta dico, & iſta non facio: & ſi aliquando facio, non diu perſevero. Iſta habeo in memoria, & non ſervo in vita. Habeo in ſermonibus, & non in moribus. Legem in corde & in ore tota die rumino, & contraria legi ago. Lego de religione in ea, & plus diligo lectionem quam orationem. Veruntamen, nihil aliud me docet divina ſcriptura, niſi religionem amare, unitatem ſervare, charitatem habere. Ego autem miſer & miſerabilis, citius curro ad lectionem quam ad orationem; libentius volo legere, quam Miſſas auſcultare. Expectat me aliquis volens de neceſſitate ſua mihi loqui: ego vero librum aliquem accipio, quem ille vel ille vellet habere; lego in eo, & legendo amitto fructus charitatis, pietatis affectus, compunctionis fletus, Miſſarum utilitatem, cæleſtium contemplationem. Nil tamen in hac vita dulcius ſentitur, nihil avidius ſumitur, nil ita mentem ab amore mundi ſeparat, nil ſic

animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omne opus bonum & ad omnem laborem, quam gratia contemplationis.

CAPVT VIII.

De incuriæ seu negligentiæ inter orandum detestatione.

1. MIserere mei Deus, quoniam ibi plus pecco, ubi peccata mea emendare debeo. In monasterio namque sæpe dum oro, non attendo, quid dico. Oro quidem ore, sed mente foris vagante, orationis fructu privor. Corpore sum interius, sed corde exterius; & ideo perdo quod dico. Parum enim prodest, sola voce cantare, sine cordis intentione. Propterea magna perversitas, imo magna insania est, quando cum Domino majestatis loqui in oratione præsumimus, & insensati aurem avertimus, & ad nescio quas ineptias convertimus cor. Magna quoque insania, & graviter vindicanda, cum vilissimus pulvis loquentem ad se audire dedignatur creatorem universitatis. Ineffabilis vero est dignatio divinæ bonitatis, quæ quotidie conspicit nos infœlices aures avertentes, obdurantes corda, & nihilominus clamat ad nos, dicens: Redite prævaricatores ad cor. Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.

20. Loquitur mihi Deus in psalmo, & ego illi, nec tamen cum Psalmum dico, attendo cujus Psalmus sit. Idcirco magnam injuriam Deo facio, cum illum precor, ut meam

precem exaudiat; quam ego, qui fundo, non audio. Deprecor illum ut mihi intendat, ego vero, nec mihi nec illi intendo, sed quod deterius est, immunda & inutilia in corde versando, fœtorem horribilem ejus aspectibus ingero.

CAPVT IX.

De instabilitate cordis humani.

1. NIhil est in me corde meo fugacius; quod quoties me deserit, & per pravas cogitationes diffluit, toties Deum offendit. Cor meum, cor vanum, vagum, & instabile: dum suo ducitur arbitrio, & divino caret consilio, in seipso non potest consistere, sed omni mobili mobilius per infinita distrahitur, & hac atque illac per innumera discurrit. Et dum per diversa requiem quærit, non invenit, sed in labore miserum, à requie vacuum manet. Sibi non concordat, à se dissonat, à se resilit, voluntates alternat, consilia mutat, ædificat nova, destruit vetera, destructa reædificat, eadem iterum atque iterum, alio & alio modo mutat & ordinat; quia vult & non vult, & nunquam in eodem statu permanet. Sicut enim molendinum velociter volvitur, & nihil respuit, sed quicquid imponitur molit, si autem nihil apponitur, seipsum consumit: sic cor meum semper est in motu, & nunquam requiescit: sed sive dormiam, sive vigilem, somniat & cogitat, quicquid ei occurrit. Et sicut molendinum arena, si imponatur, exterminat, pix inquinat, palea occupat: sic cor

cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat & fatigat. Ita cor meum dum futurum non curat gaudium, nec divinum quærit auxilium, ab amore cæleſtium elongatur, & in amore terreſtrium occupatur.

2. Cumque elabitur ab illis, & involvitur in iſtis, vanitas illud recipit, curioſitas deducit, cupiditas allicit, voluptas ſeducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat triſtitia: ſicque miſeris caſibus ſubmergitur omnibus vitiis, quoniam unum Deum (qui ei ſufficere poterat) dimiſit. Per multa diſpergitur, & huc illucque quærit ubi requieſcere poſſit; & nihil invenit, quod ei ſufficiat, donec ad ipſum redeat. A cogitatione in cogitationem ducitur, & per varias occupationes & affectiones variatur; ut ſaltem varietate ipſarum rerum impleatur, quarum qualitate ſatiari non poteſt. Sic labitur cordis miſeria, ſubtracta divina gratia. Cumque ad ſe revertitur, & diſcutit quod cogitavit, nil reperit, quia non opus fuit, ſed importuna cogitatio, qua componit multa de nihilo; ſic denique decipit imaginatio, quam dæmonum format illuſio. Imperat mihi Deus, ut præbeam illi cor meum; & quia imperanti Deo non ſum obediens & ſubditus, mihi ſum rebellis & contrarius. Vnde mihi ſubjugari non potero, donec illi fuero ſubjectus; mihique ſerviam nolens qui ei nolo ſervire volens. Idcirco plura machinatur cor meum uno momento, quam omnes homines perficere

possent uno anno. Cum Deo non sum unitus, & ideo in meipso sum divisus. Cum illo vero uniri non possum, nisi per charitatem; nec subjici, nisi per humilitatem; nec vere humilis esse, nisi per veritatem.

3. Expedit ergo, ut in veritate me discutiam; & cognoscam, quam vilis, quam fragilis, & quam labilis sum. Deinde, cum omnes miserias meas cognovero, necesse est, ut illi inhæream, per quem sum, sine quo nihil sum, & nihil facere possum. Et quia à Deo peccando recessi, nisi per veram confessionem ad illum redire non possum. Fateri ergo oportet quod fatendum est: quia nunquam eo modo, aut ea intentione qua peccavi, peccata confessus sum; nec omnium recordatus sum, aut propter vetustatem, aut propter multitudinem: si autem confessus sum, non pure confessus sum propter turpitudinem: confessionem etiam meam divisi, ut diversis Sacerdotibus diversa manifestarem; & ita venia carui, ad quam per partes pervenire putavi. Execranda namque fictio est, peccatum dividere, & superficietenus radere, non intrinsecus eradicare. Non enim utilis est confessio, nisi sit in oris veritate, & cordis puritate. Et ut tres sint, qui testimonium nobis dicant in cælo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: addamus testes sacerdotes cordi nostro, & ori, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

4. Sed dicis: Sufficit mihi soli Deo confiteri, quia sacerdos sine eo à peccatis me absol-

absolvere non potest. Ad quod non ego, sed beatus Iacobus respondet, dicens: Confitemini alterutrum peccata vestra. Conveniens namque valde est, ut nos, qui peccando Deo contumaces fuimus, pœnitendo supplices sacerdotibus & ministris ejus simus; ut homo, qui ad gratiam conservandam mediatore non eguit, jam eam recuperare nonnisi per mediatorem hominem possit. Gemat ergo & suspiret, & anxius pro peccato timeat & expaveſcat; solicitus discurrat, auxilitores & intercessores quærat: prosternat se humiliter homini, qui humiliter astare noluit creatori. Nam & hoc saluberrimum est, ut homo corde pœniteat, & ore delictum suum confiteatur: quatenus Deus, qui pius adest per gratiam, cor ad pœnitentiam compungat, deinde adsit, ut confitenti peccatorum veniam tribuat. Quod si forte peccator vere pœniteat, sed intercurrente articulo necessitatis ad confessionem pervenire non possit, confidenter credere debemus, quod summus sacerdos complet in eo, quod mortalis non potuit. Et jam apud Deum factum constat, quod homo quidem vere voluit, sed non valuit adimplere; quia confessionem non contemptus excluſit, sed impedivit necessitas.

CAPVT X.

De impatientia correctionis; & accusatione propriorum defectuum, ac vitiorum.

1. IN capitulo, ubi peccata mea emendare debui, peccata peccatis addidi. Cum de illis accusatus fui, aut aliquo modo excusavi, aut ex toto negavi, aut quod deterius est, defendi, & impatienter respondi, cum nullum sit peccatum à quo non sim contaminatus, aut contaminari non possim. Iustum est ergo, ut omni occasione remota emendationem promittam, undecunque aut à quocunque accuser, quatenus sic liberari valeam à peccato perpetrato vel perpetrando.

2. Multitudinem iniquitatum mearum expaveſcens, aliorum transgressiones reprehendere timui; & ideo mortis auctor extiti, quia virus, quod clamando expellere potui, non expuli. Indignatus sum adversus alios, qui me de vitiis meis reprehendebant, & quos amare debui, odivi. Illa quæ mihi nocebant vel displicebant, desideravi ut non essent: sciebam tamen, quod in natura sui erant bona, & à bono factore facta; sed ideo mihi nocebant, quia malus eram & male illis utebar. Nihil enim mihi contrarium est, nisi ego ipse. Mecum est quicquid mihi nocere potest, & ego ipse mihi sarcina sum. Optavi etiam, ut Deus peccata mea nesciret, aut punire nollet, aut non posset; & ita volui Deum esse insipientem, injustum, & impotentem. Quod si esset, Deus

non

non esset. Non est superbia super superbiam meam. Propterea longe à salute mea, verba delictorum meorum. Suspecta est siquidem Deo superbia, & odiosa nec fieri potest, ut cum eo in gratiam revertatur. Diversum utriusque hospitium; nec in eodem cohabitant animo, quibus non licuit cohabitare in cœlo. In cœlo nata est; sed velut immemor, qua via inde cecidit, illuc postea redire non potuit. Cum aër pluvia vel nimio frigore aut calore turbatus fuit, contra Deum inique murmuravi. Omnia namque quæ ad usum vitæ accepimus, ad usum culpæ convertimus. Quapropter justum est, ut qui in cunctis peccavimus, in cunctis feriamur. Sæpe ad sacrum mysterium vocem meam fregi, ut dulcius cantarem; & magis delectabar in vocis modulatione, quam in cordis compunctione: Deus vero, cui non absconditur quicquid illicitum perpetratur, non quærit vocis levitatem, sed cordis puritatem. Nam dum cantor mulcet populum vocibus, Deum irritat pravis moribus.

3. Licentiam loquendi vel aliquid faciendi, sæpe nimia importunitate vel calliditate à prælatis meis extorsi: non attendens miser, quoniam ille se decipit, qui occulte vel aperte satagit, ut hoc ei pater spiritualis injungat, quod ipse desiderat. Acum vel cultellum, vel aliquid vile, multoties nimium desideravi, nec confessus sum, quia peccatum non æstimabam, propter rei vilitatem. Veruntamen non multum distat, quæcun-

que ſubſtantia vilis vel precioſa requiratur, dum æqualiter ſit corruptus affectus. Non enim cultellus in vitium eſt, ſed cultelli appetitus; neque aurum in vitium eſt, ſed auri cupiditas. In labore non laboravi quantum debui, vel quantum potui. In ſilentio etiam fui otioſus, quod eſt maximum peccatum. In ſilentio namque nemo ſic debet eſſe otioſus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi; nec ſic actuoſus, ut contemplationem non requirat Dei. Parum enim proficit, qui alteri non prodeſt, cum poteſt. De vitiis meis multoties me jactavi, putans, eſſe inſigne virtutis, ubi erat lapſus criminis. De virtutibus etiam vitia feci. Iuſtitia namque dum ſuum modum excedit, crudelitatis vitium gignit: & nimia pietas, diſſolutionem diſciplinæ parturit: ſic ſæpe vitium eſt, quod virtus putatur. Sic remiſſa ſegnities, manſuetudo creditur; & pigritiæ vitium, quietis virtutem imitatur. Finxi me eſſe, quod non eram: dixi me velle, quod nolebam; vel nolle, quod volebam. Aliud ore dicebam, & aliud corde volebam: & ita ſub ovina pelle, vulpinam conſcientiam conſervabam. Vulpina plane conſcientia eſt tepida converſatio, animalis cogitatio, ficta confeſſio, brevis & rara compunctio, obedientia ſine devotione, oratio ſine intentione, lectio ſine ædificatione, ſermo ſine circumſpectione.

3. O quam dura mihi ſunt iſta, quæ loquor! quoniam meipſum loquendo ferio. Veruntamen, quia me peccatorem non nego, ſed peccatum

catum meum cognoſco : erit fortaſſe apud Deum pium judicem ipſa cognitio culpæ, impetratio veniæ. Dicam ergo, dicam miſeriam meam, ſi forte ſua pietas moveat illum. Dicam peccatum meum; quoniam notitia peccati, initium eſt ſalutis. Magnam porto coronam, & veſtem rotundam : regulam ſervo jejuniorum, ſtatutis pſallo horis ; ſed cor meum longe eſt à Deo meo. Exteriorem ſuperficiem intuens, ſalva mihi omnia arbitror, non ſentiens vermem interiorem, qui interiora corrodit. Vnde Oſeas : Comederunt alieni robur meum, & ignoravi ; & ideo pergens totus in ea, quæ foris ſunt, & ignarus interiorum meorum, ſicut aqua effuſus ſum, & ad nihilum redactus ſum, præteritorum obliviſcens, præſentium negligens, futura non providens. Ingratus ſum ad beneficia, pronus ad mala, & tardus ad bona.

4. Si me non inſpicio, neſcio meipſum : Si autem me inſpicio, tolerare non poſſum. Tanta invenio in me, quæ digna ſunt reprehenſione & confuſione ; & quanto me ſubtilius ſæpius diſcutio, tanto plures abominationes in angulis cordis mei invenio. Ex quo namque peccare cœpi, nunquam unum diem ſine peccato tranſire potui ; nec adhuc peccare ceſſo : ſed de die in diem peccata peccatis addo, & ea, quæ præ oculis habeo, inſpicio, nec gemo : erubeſcenda video, nec erubeſco : dolenda intueor, nec doleo : quod eſt mortis ſignum, & damnationis indicium. Membrum enim quod dolorem non ſentit, mortuum eſt ; & morbus inſenſibilis eſt

incurabilis. Levis sum & dissolutus, nec me corrigo, sed ad peccata quæ confessus sum, quotidie redeo: nec caveo foveam in quam miser ego cecidi, vel alios cadere feci, aut vidi. Cumque plorare & orare deberem pro malis quæ feci, & bonis quæ neglexi, proh dolor! versum est mihi in contrarium. Nam tepui & frigui & fervore orationis, & jam sine sensu frigidus remansi: & ideo flere meipsum non possum, quoniam gratia lachrymarum recessit à me.

CAPVT XI.

De individuo comitatu conscientiæ nos ubique remordentis.

1. PEccata mea celare non possum, quoniam quocunque vado, conscientia mea mecum est, secum portans quicquid in ea posui, sive bonum, sive malum. Servat vivo, restituet defuncto depositum, quod servandum accepit. Si male facio, adest illa; si autem, benefacere videor, & inde extollor, adest illa. Adest vivo, sequitur mortuum: ubique mihi gloria vel confusio est inseparabilis, pro qualitate depositi. Sic sic in domo propria & à propria familia habeo accusatores, testes, judices, & tortores. Accusat me conscientia, testis est memoria, ratio judex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum tormentum. Quotquot enim fuerunt oblectamenta mala, tot erunt tormenta dira in pœna. Nam inde punimur, unde delectamur.

CAPVT

CAPVT XII.

De tribus inimicis hominis, Carne, mundo & diabolo.

1. ADjuva me Domine Deus meus, quoniam inimici mei animam meam circumdederunt: corpus scilicet, mundus & diabolus. A corpore fugere non possum; nec ipsum à me fugare. Circumferre illud necesse est, quoniam alligatum est mihi: perimere non licet, sustentare cogor; & cum illud impinguo, hostem meum adversum me nutrio. Si enim satis comedero, & id robustum fuerit, sanitas & fortitudo ejus mihi adversantur. Mundus vero circumcingit & obsidet me undique: & per quinque portas, videlicet per quinque corporis sensus, scilicet visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum sagittis suis me vulnerat, & mors intrat per fenestras meas in animam meam. Respicit oculus, & mentis sensum avertit. Audit auris, & intentionem cordis inflectit. Odoratus cogitationem impedit. Os loquitur, & fallit. Per tactum ardor libidinis, pro aliqua parva occasione excitatur, & nisi illico respuatur, subito totum corpus occupat, urit & incendit. Primo carnem cogitatione modicum titillat: deinde, delectatione turpi mentem maculat; & ad extremum per consensum pravitatis, sibi mentem subjugat. Porro diabolus, quem videre non possum, & ideo minus ab eo mihi cavere, tetendit arcum suum; & in eo paravit sagittas suas, ut vulneret me repente. Narravit ut absconderet laqueos suos, & dixit:

& dixit: Quis videbit eos? Laqueum posuit in auro & argento, & in omnibus quibus abutimur, cum illis male delectamur, & illaqueamur. Nec solum laqueum posuit, sed & viscum. Viscus est amor possessionis, affectus cognationis, cupiditas honoris, & carnis voluptas; quibus anima inviscatur, & irretitur, ne pennis contemplationis per plateas supernæ Sion volare possit. Sagittæ diaboli sunt, ira, invidia, luxuria, & cætera, quibus anima vulneratur. Et quis est ille, qui jacula ejus ignea extinguere possit?

Proh dolor! his telis superatur sæpe fidelis.
Heu mihi, quot video bella parata mihi.

Vndique tela volant, undique tentamenta, undique pericula. Quocunque me vertam, nulla securitas est. Et quæ mulcent, & quæ tristant vel molestant, omnia timeo: esuries & refectio, somnus & vigiliæ, labor & quies, pugnant contra me. Non minus suspectus est mihi jocus, quam ira: multos siquidem jocando scandalizavi. Nec minus prospera vereor, quam adversa. Prospera namque suavitate sua incautum me faciunt, & decipiunt: adversa vero, quia aliquid amaritudinis habent, velut potiones amaræ me suspectum & timidum faciunt. Magis timeo malum quod facio in abscondito, quam quod in aperto. Malum namque quod nemo videt, nullus reprehendit: & ubi non timetur reprehensor, & securius accedit tentator, & facilius perpetratur iniquitas. Nimirum utrobique bellum, utrobique periculum, utrobique timendum: & sicut in hostili regione

gione versantibus, hac illacque circumspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda est cervix. Caro suggerit mihi mollia, mundus vana, diabolus amara. Quia quoties carnalis cogitatio mentem importune pulsat, de cibo & potu, de somno, cæterisque similibus ad carnis curam pertinentibus, caro mihi loquitur. Cum de ambitione sæculi, de jactantia, de arrogantia, cogitatio vana in corde versatur, de mundo est. Quando autem ad iram, & iracundiam, & amaritudinem animi provocor, diabolica suggestio est; cui non aliter quam ipsi diabolo resistendum est: nec aliter ab eo cavendum, quam ab ipsa damnatione. Dæmonum officium est, suggestiones malas ingerere: nostrum est, illis non consentire. Nam quoties resistimus, diabolum superamus. Angelos lætificamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur, ut pugnemus: adjuvat, ut vincamus. Certantes in bello spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat.

CAPVT XIII.

De impugnatione trium dictorum inimicorum.

1. CAro mea de luto est, & ideo lutosas & voluptuosas cogitationes ab illa habeo: vanas & curiosas à mundo, à diabolo malas & malitiosas. Isti tres inimici me impugnant & persequuntur, nunc quidem aperte, nunc vero occulte; semper autem malitiose. Diabolus namque plus confidit in adjutorio

jutorio carnis; quoniam magis nocet domesticus hostis. Illa vero ad subversionem meam cum illo fœdus iniit; utpote de peccato nata, & in peccato nutrita; vitiis corrupta ab ipsa origine, sed multo amplius vitiata prava consuetudine. Hinc est, quod tam acriter concupiscit adversus spiritum: quod assidue murmurat, & impatiens est disciplinæ, quod illicita suggerit, nec rationi obtemperat, nec inhibetur ullo timore. Huic accedit, hanc adjuvat, hac utitur tortuosus ille serpens, hostis humani generis: cui nullum aliud est desiderium, nullum negotium, nullum studium, nisi perdere animas nostras.

2. Hic est, qui jugiter malum machinatur, argute loquitur, artificiose suggerit, callide decipit. Illicitos motus insufflat, & venenatas cogitationes inflammat; movet bella, nutrit odia, incitat gulam, movet libidinem, desideria carnis instigat, & peccati occasiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum pulsare non cessat. Hinc est, quod baculo nostro nos cædit, & manus nostras proprio cingulo ligat; ut caro, quæ data est nobis in adjutorium, fiat nobis in ruinam & scandalum. Gravis lucta & grave periculum est, adversus domesticum hostem pugnare, maxime cum nos advenæ simus, & ille civis. Ille suam inhabitat regionem, nos exules sumus, & peregrini. Magnum quoque discrimen est adversus diabolicæ fraudis astutiam, tam crebros, imo continuos sustinere conflictus: quem

quem astutum fecit tam natura subtilis, quam longa exercitatio malitiæ hujus.

CAPVT XIV.

De desiderio patriæ cælestis; & summa ejusdem felicitate.

1. ERipe me de inimicis meis, Deus meus, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me. Ego vero, qui usque ad hunc diem contra me vixi, jamjam per tuam gratiam mihi vivere incipiam. Sic enim in hoc mundo vivere debemus, ut cum corpus cœperit à vermibus devorari in sepulchro, anima lætetur cum Sanctis in cœlo. Illuc spiritus dirigendus est, quo est iturus. Illuc festinare debemus, ubi semper vivamus, & ubi mori amplius non timeamus. Si sic amamus istam labilem & caducam vitam, ubi cum tanto labore vivimus, ubi comedendo, bibendo, dormiendo, vix carnis necessitatibus satisfacimus: multo magis amare debemus vitam æternam, ubi nullum laborem sustinebimus, ubi summa semper jucunditas, summa fœlicitas, fœlix libertas, & fœlix beatitudo; ubi similes erunt homines Angelis Dei, & fulgebunt justi sicut Sol in regno Patris eorum. Qualis putas tunc erit splendor animarum, quando Solis splendorem habebit lux corporum? Nulla erit ibi tristitia, nulla angustia, nullus dolor, nullus timor, nullus ibi labor, nulla mors: sed perpetua sanitas semper ibi perseverat.

2. Non suggerit ibi malitia, nec carnis miseria,

miseria, nulla est ibi ægritudo, nulla omnino necessitas: non est ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo jejunii; nec ulla tentatio inimici, nec peccandi voluntas, nec delinquendi facultas: sed totum lætitia, totum exultatio possidet: homines quoque Angelis sociati, sine ulla carnis infirmitate in perpetuum manebunt. Ibi erit jucunditas infinita, beatitudo sempiterna; in qua, qui semel susciptur, semper tenetur. Ibi est requies à laboribus, pax ab hostibus; amœnitas de novitate, securitas de æternitate, suavitas atque dulcedo de Dei visione. Et quis non illic habitare vehementer desideret, & propter pacem, & propter amœnitatem, & propter æternitatem, & propter Dei visionem? Nullus est ibi peregrinus, sed quicunque illuc venire merebuntur, securi in propria patria manebunt semper læti, & semper satiati de visione Dei. Et quanto plus aliquis hic Deo obediens fuerit, tanto ampliorem ab eo mercedem ibi recipiet: quantoque amplius Deum amabit, tanto propius videbit, quem cernere cupit.

CAPUT XV.

De brevi vita hominis.

1. Dies hominis sicut umbra super terram, & nulla est mora, & tunc proprie nihil est, cum stare videtur. Cur ergo thesaurizat in terra homo, cum sine dilatione transeat, & illud quod colligitur, & ipse qui colligit? Et tu homo, quem fructum expectas

expectas in mundo; cujus fructus ruina est, cujus finis mors est? Vtinam saperes & intelligeres, ac novissima prudenter provideres! Scio quendam, qui per annos plurimos tecum familiariter vixit, ad mensam tuam sedit, cibum de manu tua sumpsit, in sinu tuo dormivit; cum voluit, tecum colloquium habuit. Hic jure hæreditario servus tuus est. Sed quia ab ineunte ætate delicate nutristi eum, & virgæ pepercisti, contumax effectus est. Levavit calcaneum suum super caput tuum, & te in servitutem redegit, & tui crudeliter dominatur. Sed fortasse dices: Quis est hic? Vetus homo tuus: qui conculcat spiritum tuum; qui pro nihilo habet terram desiderabilem: qui sola, quæ carnis sunt, sapit. Homo iste à nativitate cæcus est, & surdus & mutus; inveteratus dierum malorum: rebellis virtuti & veritati; inimicus crucis Christi. Deridet innocentem & simpliciter transeuntem. Ambulat in magnis & mirabilibus supra se: arrogantia ejus est plus quam fortitudo ejus; nullum reveretur: dicit in insipientia sua, Non est Deus. Tabescit bonis, & malis pascitur alienis: immundis cogitationibus pascitur, non fatigabitur in illis transgrediens usque ad finem: dispergit & dissipat propria sicut prodigus, cupit & rapit aliena sicut avarus: turpitudinem, & ignominiam congregat sibi; simulans & callidus provocat iram Dei.

2. Homo iste totus in peccatis natus est, & sic nutritus, amicus iniquitatis, filius mortis, vas iræ in contumeliam, aptus ad interi-

tum. Qui cum talis sit, enarrat justitias Dei, & assumit testamentum ejus per os suum. Odit disciplinam, projicit Dominum suum post dorsum suum. Cum videt furem, currit cum eo, & cum adulteris portionem suam ponit. Adversus filium matris suæ ponit scandalum, super terram etiam thesaurizat iram in die iræ. Vult à te hæreditatem tuam tollere, & desuper terram auferre; & tu tantam injuriam non vindicas, sed dissimulas: nec ei verbum durum loqueris, nec vultum iratum ostendis, sed blandienti tibi arrides. Ludis cum illusore; nescis quia Ismael est, qui tecum ludit. Ludus iste non est pueritiæ, nec simplicitatis, vel innocentiæ; sed illusio est animæ, sed persecutio, sed mors. Iam te in foveam quam fecit, præcipitavit. Iam effæminatus es, jam jugo miserrimæ servitutis pressus, sub pedibus ejus misere & viliter conculcaris. O miser, miserabilis homo, quis te liberabit de vinculo improperii hujus? Exurgat Deus, & cadat armatus iste: cadat & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, cultor sui; amator mundi, servus diaboli. Quid tibi videtur? Si recte sentis, mecum dices: Reus est mortis; crucifigatur. Noli ergo dissimulare, noli differre, noli parcere; sed festinanter, audacter, instanter crucifige hominem istum, sed cruce Christi, in qua est salus & vita; ad quem si ex corde clamaveris, crucifixus tuus audiet te, benigne respondens: Hodie mecum eris in Paradiso.

3. O Christi pietas, ô inopinata salus miseri! Tam gratuita est & prompta dilectio Dei,

Dei, tam ſtupenda dulcedo, tam inopinata dignatio, tam invicta manſuetudo; ut qui ad eum clamaverit, exaudiat illum, quoniam miſericors eſt. O quanta eſt miſericordia Dei, quam ineffabilis mutatio dexteræ Excelſi! Heri eras in tenebris, hodie in ſplendore lucis. Heri in ore leonis, hodie in manu mediatoris. Heri in porta inferni, hodie in deliciis paradiſi. Sed quid proſunt hæ literæ admonitionis, niſi deleas de libro conſcientiæ tuæ litteras mortis? Quid proſunt hæc ſcripta, lecta & intellecta, niſi temetipſum legas, & intelligas? Da ergo operam internæ lectioni, ut legas, inſpicias; & cognoſcas teipſum. Legas, ut diligas Deum, ut pugnes & vincas mundum & omnem inimicum: quatenus labor convertatur in requiem, luctus in gaudium; & poſt tenebras hujus vitæ, videas ortum ſurgentis auroræ, videas etiam meridianum Solem juſtitiæ; in quo ſponſum cum ſponſa proſpicies unum eundemque Dominum gloriæ, qui vivit & regnat per infinita ſæcula.

Finis Meditationum S. Bernardi.

IDIOTÆ,

Viri docti & Sancti,

CONTEMPLATIONES

De Amore divino.

CAPUT I.

Quid sit amor.

AMor (dulcissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris) est affectio vehemens cordis & animæ, ac mentis applicatio ad aliquid diligendum: inclinat enim amor amantem. Neque enim in hoc laborat, licet labor non amantibus gravis sit. Neque difficultatem non novit, sed impatiens est, nisi inveniat quod desideret; nec aliud cogitat, quam quod diligit; nec accipit de dilatione solatium. Lucerna fulgoris est verus amor, ardens in mente per desiderium, & splendens in facie per exemplum. Et hic amor jam nudus non est & pure naturalis, sed indutus fontani amoris radio; jam infusus, jam purgatus, jam illuminatus & elevatus supra naturæ potentiam; jam patiens, jam formatus; qui quum forma est, pure naturalis & per se agens informis est, impotens & depressus. Amor naturalis, fulgor oculi in tenebris; amor infusus, fulgor oculi in lumine, vel verius lumen efficax in fulgore. Amor cæteros affectus in se ducit & captivat. Viget namque

namque ipse amor, quum præsto est quod amatur, & languet, cum abest: Quod nihil aliud est, Domine Deus, quam tædium quoddam impatientis desiderii, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente eo quem amat. Natura quippe amoris est, semper amare; proprium postponere, & commune præferre, diversa corda unire, extraneum domesticum facere, corda iracundia ignita extinguere, pacem semper procurare.

2. Amor confracta solidat, depressa sublevat, nutantem animum constantem reddit. Amor docet & addiscit, & inimicum nescit. Amor laudat, amor reprehendit, amor prava suspicione caret. Vbi amor defuerit, nihil valet quicquid agitur; contra omnia valent quæ cum amore aguntur. Amor hominem lætificat, & à terrenis sublevat. Amor nunquam est otiosus, sed semper aliquid operatur, semper crescit & augetur. Amor vita est animæ: & qui non amat, mortuus est. Verus amor non requirit præmium, etsi meretur. Sine amore nec eleemosynæ largitio, nec martyrii susceptio, nec aliquorum bonorum operatio proficere ad habendam salutem potest. Amor hominem perficit; omnia sustinet, omnia patienter portat. Amor facilis res est, omnibus se exhibet, nulli se negat. Capit eum bonus & malus, juvenis & senex, vir & mulier, sanus & infirmus, dives & pauper, summus & infimus, liber & servus, secularis & religiosus, debilis & fortis; nec est qui se valeat excusare, quin

in alios dirigat radios puri amoris. O amantissime Domine Iesu Christe, unde omnis defluit amor, ego sceleratissimus peccator semper frigidus fui, & ab amore multipliciter elongatus; singularis fui & sequestratus, ac sine amore & delectatione degens; adeo quod frequenter etiam vixi cum odio & simultate. Adjuvare ergo me digneris per tuum dulcissimum amorem, & accendere cor meum ad amorem tibi placitum; ut amem & diligam, quæ amare & diligere debeo: ut viam amoris in te amando consequar sempiternam, Amen.

CAPVT II.

Vnde oriatur amor Dei.

1. ORitur amor (dulcissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris) velut lachrymæ, quæ ab oculis in pectus cadunt: quia ab intellectu amor oritur, & cadit in cor per fidem. *Sic Sancti per fidem vicerunt regna!* Fides enim sanctissimum bonum est humani pectoris; quæ nulla necessitate ad fallendum cogitur, nec ullo corrumpitur præmio, sed est firmamentum stabilitatis & constantiæ in animo. Oritur amor à gratia Dei Patris, sicut tu Domine Iesu Christe amantium vita dixisti: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum:* scilicet per gratiam, ad mei amorem. Intrat vero amor mentem hominum per auditum aurium. Quia dum de aliquo bona aliqua audiuntur, ex ipso auditu concipitur amor in corde audientis, ad diligendum illum. Oritur amor per locutionem

nem bonam; quia principium amicitiæ est bene loqui: male vero dicere, exordium inimicitiarum. Oritur amor per bona obsequia, præstita invicem & recepta. Nam qui obsequium præstare nescit, injuste petit, imo etiam in odium cadit.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui omnia diligis: si ista in corde meo continua meditatione cogitarem, super omnia diligere te deberem: videlicet per fidem, quæ sic tibi placet, quod per ipsam omnes sanas & salvas, quia dicis: *Fides tua te salvum fecit*, & sine illa nemo tibi placere potest. Oritur etiam amor ad te amandum per auditum, quia de te scriptum est: *Qui audit me, non confunditur*. Sed beati sunt qui audiunt, & qui te vero amore diligunt. Oritur etiam amor ad te diligendum, per beneficia à te multipliciter nobis collata. Quia quicquid boni habemus, à te habemus: ultra multa dona teipsum nobis dedisti; quum de cœlo propter nos descendisti, te ipsum exinaniens, & formam servi accipiens, minoratus paulo minus à Deo; quum etiam propter nos convitia, flagella, opprobria, contumelias, sputa, & tandem mortem turpissimam crudelissimamque sustinuisti. Sed ego ingratissimus peccator, licet tanta & tam magnifica dona tua cognoverim, & originem tanti amoris viderim, tibi tamen pauca aut nulla dona rependere curavi. Sed totus ingratitudine plenus, tanquam quodammodo inimicus adversum te me posui: tibi contraria & displicentia,

corde, voce, & opere exercendo. Adjuvet igitur me (clementissime Domine Iesu Christe) amor tuus, remittendo quæ inique egi: & inflammet ad amorem tuum dulcissimum: ut te timendo & efficaciter diligendo, tibi placita agam fœliciter, & adimpleam; iniqua autem toto corde & opere respuam: ut ad regnum perpetuo te amantium perveniam sempiternum, Amen.

CAPVT III.

Qualiter nos Deus dilexit.

1. Dilexisti & amasti nos dulciter, (benignissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris) dum carnem nostram mortalem humiliter induisti sola dilectione & amore inductus. Dilexisti nos sapienter, ô amantium vita Domine Iesu Christe; quia carnem nostram mortalem induendo, omni peccato caruisti. Dilexisti nos fortiter, quia mortem turpissimam & crudelissimam pro nobis miseris voluntarie sustinuisti. Et licet nos in carne visitaveris, non tamen carnaliter amasti, sed in prudentia spiritus. Itaque quos in carne quæsivisti, dilexisti in spiritu, & redemisti in virtute. In carnis autem assumptione accommodasti te nobis, in culpæ vitatione consuluisti tibi, & in mortis susceptione satisfeciisti Deo Patri: Et sic Domine Iesu Christi, vita nostra, amicus dulcis, consiliarius prudens, & adjutor fortis fuisti. Et nisi amasses nos dulciter, non requisisses in carcere. Sed adjunxisti affectioni & dilectioni sapientiam, qua tyrannum decepisti:

cepisti : Adjunxisti etiam patientiam, qua offensum Deum Patrem placasti. Et sicut ad operandum salutem in medio terræ, ex nimia dilectione semel venisti in carne visibilis : ita quotidie propter maximam dilectionem, quam habes ad animas nostras, venis invisibilis ad salvandas eas, mentes nostras tua potentia invisibili illustrando.

2. O clementissime Domine Iesu Christe, indeficiens amor : si tuam infinitam dilectionem considerarem, non oporteret me transfretare maria, penetrare nubes, montes transire, quia non grandis mihi restat via ad te amandum : solum enim opus est ut curram ad me ipsum : scilicet, ad compunctionem & confessionem : ut sic exeam de sterquilinio miserrimæ conscientiæ, ut illuc intrare valeam per gratiam & amorem. O misericordissime Domine Iesu Christe, ego iniquissimus peccator dignus sum & dignum me sentio odio, non amore tuo; pœna, non gloria. Quia licet cognoverim ex tua immensa pietate tuam exuberantem dilectionem & amorem dulcissimum; tamen his oblivioni quodammodo traditis, gratias tibi non rependi, nec meipsum disposui, ut tuam dilectionem in me ampliori gratia augeres. Sed tempus ad iracundiam & vindictam provocavi ob miserabilem vitam meam, quam diversis vitiis & peccatis contaminavi. Succurre mihi Domine Iesu, per tuum sanctum amorem : & sic me misericorditer dispone, ut amor tuus dulcissimus reformetur in me, per quem

hic vivendo in gratia tua, in fine amore tuo perfruar sempiterno, Amen.

CAPVT IV.

Qualis est amor Dei.

1. O Amor præceps, amor flagrans, amor vehemens, amor te intra te cohibere non valens: qui præter te aliud cogitare non finis; fastidis cætera, contemnis omnia præter te. Dulciter capis, strenue stringis, sapienter erudis, glorioſe illaqueas, oneras delectabiliter, fœliciter uris, in dicto expectaris. Nec consilio temperaris, nec pudore refrenaris, neque rationi subjiceris. Affectu es desiderabilis, experientia dulcis, jucunditate plenus, fruitione æternus, satians & reficiens, nunquam fastidium generans. Nihil (Domine Iesu Christe, fons veri amoris) amore tuo suavius, nihil dulcius, nihil utilius, nihil jucundius. Amor tuus, Domine, non moleſtat, sed cum exultatione & gaudio stringitur, & cum securitate desideratur. Vbi tuus amor est, Domine, labor non est, sed sapor. Seipso contentus est; confundit ordines, dissimulat risum, ignorat modum; totumque quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, & quod consilii judiciive esse videtur, triumphat in seipso, & redigit in captivitatem.

2. Amor tuus Domine libertatem donat, timorem pellit, laborem non sentit; meritum non respicit, præmium non requirit; fessos alleviat, debiles roborat, mœstos lætificat, esurientes reficit, & deficientes jucun-

dos

dos reddit. Amor tuus Domine Ieſu Chriſte, qui es fons amoris, imo amor ipſe, diſſimulat & expectat & ſuſtinet delinquentem, eumque benigne trahit, adducit, & converti facit ab errore viæ ejus. Amor tuus Domine Ieſu Chriſte, fons vitæ eſt; nec vivere anima poteſt, quæ non hauſerit ex illo: neque haurire poteſt, niſi præſens fuerit ipſi fonti, ſcilicet tibi, qui es fons totius amoris.

3. O fons veri amoris, & immenſæ dulcedinis; qui nunquam deficis, ſed ſemper reficis. Ego miſerabilis peccator, oneratus magno pondere peccatorum, magnam ſitim amoris patior: quia à te fonte vivo nimium ſum elongatus. Reſpicere ergo me digneris miſericorditer, & deducere me ad te fontem amoris & dilectionis, ut hauriam aquam tanti amoris tui; illam bibam, illa recreer, illius ſuavitatem & ſaporem deguſtem. Ex illa lavetur & mundetur anima mea ab omni macula peccati; ut mundata ab omni inquinamento, tibi placeat & tibi ſerviat, ac tecum vivat per amorem in infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

CAPVT V.

De violentia amoris Dei.

1. O Violentia divini amoris, qua ſummus omnium, infimus factus eſt. Hoc namque fecit verus amor, dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Nihil enim, Domine Ieſu Chriſte, fons, imò abyſſe amoris, violentius triumphat de te, quam amor. Propter quem temet-

temetipsum exinaniſti, ut ſciremus, plenitudinem effuſam eſſe, altitudinem adæquatam, & ſingularitatem aſſociatam. Atque violentia tui amoris, nos fædos & deformes amavit: non ſic tamen ut nos tales dimitteres; ſed ut ex fœdis pulchros, & ex deformibus formoſos faceres. Amaſti enim nos, Domine Ieſu Chriſte, abyſſalis amor ex abyſſo amoris; & feciſti te propter nos hominem: ſubjeciſti te, & ſuſcepiſti nos; inclinaſti te, ut nos erigeres; exinaniſti te majeſtate, ut impleres nos divinitate: deſcendiſti uſque ad nos, ut aſcenderemus ad te. Non enim eſt pater, non mater, non amicus, non alius quiſquam, qui nos tantum dilexerit quantum tu, Domine, qui feciſti nos. Abſorbeat igitur, quæſo amantiſſime Domine, mentem meam ab omnibus, quæ ſub cælo ſunt, ignita & melliflua vis tui amoris; ut totus tibi inhæream, ſolaque ſuavitatis tuæ dulcedine paſcar, delecter, & inebrier.

2. O Domine Ieſu Chriſte, quam fœlix bonum eſt, & quam deſiderabile, violentiam tui amoris ſentire; quæ pectora noſtra radiis tanti amoris quotidie illuſtrat, peſtes mentis ſanat, ſecreta cordis illuminat, mentem fovendo ſaginat, & animam exhilarando corroborat. O quam dulcis eſt miſericordia & ſuavitas amoris tui, Domine Ieſu Chriſte, largitor amoris; qua perfruuntur illi, qui præter te nihil diligunt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare concupiſcunt! Ad amorem tuum præveniendo nos invitas, proripis, & pertrahis; tanta eſt violentia tui amoris.

Nulla

Nulla enim est major invitatio, proreptio, & pertractio ad amorem, quam prævenire amando; quia animus, qui prius torpebat, cum se præamari sentit, excitatur. Quod si jam fervebat, quum se amari & præamari didicit, magis accenditur.

3. O amantissime Domine Iesu Christe, licet me indicibiliter amaveris, ego tamen impiissimus peccator, cor lapideum & ferreum gerens, amorem tuum ignitum in pectore meo frigido non recognovi. Et licet tuam dilectionem, quam ultro impendebas, desiderarem mihi impendi: nolui tamen vice versa dilectionem tibi rependere. Auxiliari igitur mihi dignare, piissime Domine Iesu Christe, qui non potest non amare; & per violentiam tui dulcissimi amoris, compelle rebellem animum meum ad te amandum; ut tibi placide serviam, & vitam obtineam in amore sempiternam.

CAPVT VI.

Quomodo cognoscit anima se diligi à Deo.

1. SCio (benignissime Domine Iesu Christe, amor & amantium vita) quod qui vehementer diligit te, etiam à te infinities vehementius diligi non ambigit. Quique sua singulari intentione, solicitudine, cura, opera, diligentia, ac studio, incessanter & ardenter invigilat quo pacto placeat tibi, multo magis omnia hæc in te indubitanter agnoscit. Amor enim tuus amorem animæ parit, & tua præcurrens intentio intentam animam facit, solicitudoque solicitam. Qualem

lem igitur se præparaverit anima tibi, talis & tu eminenter per tuam infinitam misericordiam appares ei. Quia scriptum est: Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris. Quare, & cum amante amans, cum vacante vacans, cum intento intentus, & cum solicito solicitus.

2. Tanta est, Domine Iesu Christe, amantium summe, benignitas & misericordia tua erga animas nostras: quod si anima ad te vigilat, multo prius vigilas & tu. Si anima consurgit in nocte in principio vigiliarum, & accelerat quantum potest etiam ipsas longe anticipare vigilias: inveniet te, nec poterit te prævenire. Semper enim in tali negotio plus aliquid tribuis gratiæ tuæ, & plus semper amas: plus quoque extenditur & dilatatur amor tuus ad ipsam animam & ante & post. Quæ omnia devota & tibi grata anima considerans, & sic admirans tuam ineffabilem Majestatem, cætera non curat; sed tibi soli intendere gloriatur, & se tibi soli (te donante) postpositis curis omnibus, tota devotione custodit.

3. O mater amorum, ô amantissime Domine Iesu Christi, tanta & tam inæstimabili bonitate redundas, quod semper amando nos, prævenis nos, quærentibus te exhibes & occurris, diligis imo tua immensa dilectio usque ad inimicos se extendit. Nulli te negas, nullum spernis; sed omnes manu amica vocas & recipis; nisi quantum per peccatum à te invito & nolente contumaciter & inobedienter recedunt. Sed adhuc tam immensa & exube-

exuberans est tua dilectio, quod in peccatis miserabiliter jacentes, expectas ad pœnitentiam, & interdum rebelles redire compellis. Adjuvare igitur me digneris, misericordissime Domine Iesu Christe, ignis & lux amoris. Et accende & illumina cor meum durum & rebelle ad amorem tuum: quo adjuvante, de peccatis & malis meis propter te doleam, digne per te satisfaciam. Opera studiosa & tibi placita, corde puro, humili & amanti exerceam: Vt tua gratia præveniente, assistente, & subsequente, sic in præsenti vita amore tuo vivam, ut illa finita, ad te glorioſa amandum, misericorditer vitam obtineam sempiternam, Amen.

CAPVT VII.

De operatione amoris Dei.

1. O Admiranda divinæ propiationis dilectio. Servi digni non sumus. Tu autem, benignissime Domine Iesu Christe, plenitudo amoris, amorem tuum & dilectionem ostendendo & operando in indignis servis tuis, & (ut de cæteris taceam) in me miserabili creatura tu, à multis variisque periculis me liberasti. Quia me deviantem reduxisti, ignarum docuisti; dum peccarem, ad pœnitentiam expectasti, prostratum erexisti: & ad te venientem, largissima pietate tua suscepisti. Omne meritum meum nihil omnino esse potest, in comparatione operationis amoris tui. Amor tuus dulcissime & amantissime Iesu Christe, operatur in me, sine spe recipiendi à me: *Quia bonorum meorum non eges.*

Neque

Neque quicquam condigne amori tuo conferre possum, nec eum explicare sermone. Quia tantus est & tam immensus amor tuus, quod dum peccabam, tu silebas; dum non continebam à vitiis & peccatis, tu à verberibus abstinebas; dum perseverabam in iniquitatibus multis & diversis, tu vindictam differebas.

2. Ad omnem tribulationem & necessitatem apertus mihi fuit dulcissimus amor tuus, & sinus tuæ infinitæ dilectionis expansus; nec consideravit indignum, sed necessitatibus meis omnibus subvenit. O amoris inæstimabilis operatio! Sic enim Domine me visitasti, & cor meum durum mutasti, ut amara sentiam nunc illa, quæ antea male dulcia mihi erant; & qui lætabar tunc, cum male in rebus pessimis agebam, nunc incipiam tibi recogitare annos meos in amaritudine animæ meæ. Quare ô Domine Iesu Christe, amator bone, qui commoves terram cordis mei, & conturbas eam, sana obsecro) contritiones ejus, quia commota est. Non recedat operatio tui dulcissimi amoris à me creatura tua. Intret in animam meam, & mundet eam à fæcibus peccatorum. Illustret eam incendio veræ dilectionis. Excitet eam à tepore ignaviæ. Tollat ab ea ignorantiam, & doceat quæ agere & exercere debeam.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui omnem amorem superas, cogitare non valeo, quanta dilectione me amasti, & quam liberaliter & gratis. Quia licet te diversis modis offenderem, nec à peccatis cessarem;

sarem; tu tamen dissimulabas, nec ad puniendum me accelerabas. Imo, tanquam ovem errantem & pereuntem, ut sacris humeris imponeres, requirebas præ incomprehensibili amore, quo cuncta, quæ fecisti, amas. Gratias itaque tibi ago, & tuo immenso amori, tuæque immensæ pietati & clementiæ; & te humili corde ac simplici precor, ut tua dilectio me non deserat, sed mecum sit, me adjuvet, & me defendat ab omni periculo animæ & corporis. Vt hic ad tuum placitum vivendo tibi semper serviam, te incessanter diligam, & tandem ad dilectionem tuam perveniam sempiternam, Amen.

CAPVT VIII.

De magnitudine amoris Dei.

1. LIcet (Domine Deus meus) mundus in maligno positus esset, & plenus miseria: tamen pro nobis in mundum, tuum benedictum filium misisti. Imo etiam ex abundantia tui amoris, illum in infernum transmisisti, ut inde suos extraheret. Ad hoc enim misisti ipsum in mundum, ut venditus nos redimeret, occisus vivificaret, injurias passus honoraret, & in filios adoptaret. Misisti igitur Verbum tuum, misisti Spiritum tuum, promittis vultum. Et ne quid in cælestibus vacet, ad opera nostra solicitanda etiam illos beatos spiritus propter nos mittis in ministerium, & insuper humanam naturam in eadem persona divinæ naturæ associari voluisti. Dilexisti nos Domine gratis, morti destinatos, & vita indignos. Omnes

enim ducebamur tanquam latrones ad supplicium, quia ad infernum trahebamur. Sed filius tuus superbenedictus nobis subvenit,& pro nobis fidejussit, quem fidejussorem semper in memoria habere debemus, sicut scriptum est: *Gratiam fidejussoris tui ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam.*

2. Tu Domine Deus meus, præ magnitudine amoris tui, non pepercisti filio tuo unigenito, sed pro nobis omnibus illum tradidisti. Et ad te nos attraxisti, dum sororem nostram, scilicet humanam naturam, benedicto filio tuo inseparabiliter copulasti. Sic enim scribitur: *In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te, miseratus tui.* O Domine Deus meus, ignis amoris consumens, glorioſius non potuit nubere caro nostra. Vnde, si matrimonium inter homines sic attrahit eos, ut de inimicis valde amicos faciat: quantum deberet homines id attrahere ad amandum te, quod sororem nostram, scilicet humanam naturam, tuo benedicto filio inseparabiliter copulasti? Scilicet, Domine Deus meus, ego sum ingratissimus ille, & superbissimus peccator, qui tantam ingratitudinem amoris non considerans, & tam mirabilem copulam non contemplans, me ad reamandum tuum Filium & Spiritum sanctum, unum Deum & unum Dominum, non disposui: sed ad amanda mala, noxia, & iniqua, fui multipliciter inclinatus, & illa ad effectum frequenter perduxi. Adjuvare ergo me dignare, misericordissime Domine, indultor amoris. Et dirige me, ut te super omnia

omnia diligam; & tua infinita beneficia recognoscam, mente teneam, & pro ipsis gratias tibi agam: & in fine vitam in amore mihi misericorditer concede sempiternam, Amen.

CAPVT IX.

De causa diligendi Deum.

1. O Misericordissime Domine Iesu Christe, causa diligendi te, tu ipse es. Et te diligendi modus est sine modo: quia cum infinite bonus sis, & omnis modus noster diligendi finitus, diligendus es supra omnem modum: Et ideo nihil te justius nihilque fructuosius diligi potest. Infinitum namque, Domine Iesu Christe, vere amantium amor, meritus es de nobis; quia nobis immeritis temetipsum dedisti. Tu es causa efficiens & finalis amoris & dilectionis, ut occasionem habeas glorificandi nos; quia tu occasionem das, tu affectionem creas, tu desiderium consummas. Tu enim fecisti hominem, imo factus es homo, ut te amemus. Tuus amor amorem nostrum præparat & remunerat: præcedit benignius, & expectatur suavius, & dives est in omnibus, qui invenit illum.

2. Se dat in meritum, se servat in præmium sanctorum, & se distrahit in redemptionem captivorum. Si tuum meritum quæritur, illud est præcipuum; quia tu prior dilexisti nos. Et ideo dignum & justum est, ut te redamemus: præsertim si mente humili & devota desiderare velimus tutam misericordiam, gratuitam dilectionem, inopinatam

dignationem, invictam manſuetudinem, & ſtupendam dulcedinem. Quid enim aliud iſta faciunt, benigniſſime & ſuperamabilis Domine Ieſu Chriſte, diligenter conſiderata; niſi ut conſiderantis animum ad te viſcerabiliter rapiant, vehementer afficiant, faciantque contemnere omnia præter te, Domine? Verus amor tuus, clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, vacuus eſſe non poteſt: ſed ejus præmium incipienti proponitur, amanti promittitur, & perſeveranti redditur. Anima te Domine veraciter amans, aliud præter te ſui amoris præmium non requirit; aut ſi aliud requirit, profecto te non diligit.

3. O mitiſſime Domine Ieſu Chriſte, ego ſum ille perverſiſſimus peccator, qui te poſthabendo in tranſitoriis & caducis amorem cordis mei poſui: & illa quæ diu conſervare non poteram, tota mente dilexi. Adjuva me, piiſſime Domine Ieſu Chriſte, amator fortis: & dirige cor meum, ut te amem & diligam, mundana contemnens; ea tanquam inutilia & noxia penitus derelinquam; peccata odio habeam, de præteritis doleam & condigne virtute amoris ſatisfaciam, & à futuris malis & peccatis præcaveam: ut tibi amore ſyncero & aſſiduo ſerviendo & placendo, tandem tuam dilectionem per infinita ſæculorum ſæcula adipiſcar immortalem, Amen.

CAPVT

CAPVT X.

Qualiter Deus diligatur.

1. NOn mirum est, Domine Deus meus, si infidelis minus diligit te; minus enim te cognoscit. Sed quid est, Domine, de me miserabili creatura tua? Te enim per veram fidem agnosco, & te teneo, vitæ meæ non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, solicitum gubernatorem: sed insuper etiam copiosissimum Redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem. & glorificatorem. Vrget namque ratio & justitia naturalis, ut totum me per amorem tradam tibi, à quo me totum habeo. Et si totum me debeo tibi quia me feciſti; ad magis amandum sum tibi obligatus, quia me refeciſti; nec tam facile me refeciſti, quam feciſti. Nam semel dicendo me feciſti, sed reficiendo & dixiſti multa, & gessiſti mira, & pertuliſti dura; nec tantum dura, sed & indigna.

2. O benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, amor meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ tribuiſti mihi? In primo enim opere, me mihi: in secundo vero, teipsum mihi dediſti: & tunc te mihi dando, me mihi tradidiſti. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis quidem debeo. Quid ergo tribuam pro te? Nam etiamsi me infinities rependere possem, nihil sum ego ad te. O Domine Ieſu Chriſte, languentes animos amore reficiens, si intelligentia, quam mihi dediſti, uti vellem sicut deberem, cernerem manifeste,

quo modo, imo quam sine modo, à me creatura tua amari merueris, qui prior dilexisti me, tantus & tantum & gratis, tantillum & talem & ingratum. Scio Domine, quod dilectio tua tendit in immensum & in infinitum, quia tu immensus es & infinitus.

3. Quæso igitur Domine, qualis finis debet esse mei, vel modus amoris? Amor enim meus Domine non est gratuitus, sed reponditur debitus. O clementissime Domine Iesu Christe, amicos tuos vivificans amore, extende ad me peccatorem miserabilem tuam exuberantem dilectionem; ut te diligam pro dono tuo & modo meo minus quam justo. Nam etsi quantum debeo, non possum; non possum tamen ultra, quam possum. Potero autem plus, cum plus donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis. Da igitur mihi tuum amantissimum amorem, quo te donante, te diligam & amem; tibi placeam, tibi serviam, tua præcepta adimpleam: à te non separer in præsenti & in futuro, sed tecum maneam agglutinatus amore in sempiternum.

CAPVT XI.

De triplici modo diligendi Deum.

1. O Immensitas amoris, dulcissime Domine Iesu Christe, doce me quemadmodum diligam te. Fac mecum tuam misericordiam, ut te amem dulciter, prudenter, fortiter. Dulciter, ne amaritudine avertar; prudenter, ne decipiar; fortiter, ne opprimar, aut ab amore tuo ullo modo, sive mundi

di gloria, sive carnis illecebris aut voluptatibus, abducar. Informes me Domine, tu qui sapientia es, ne seducar spiritu mendacii & erroris. Lucescas in me tu, qui es veritas, ne adversitatibus & scandalis offendar. Conforta me tu, qui es virtus, ne deficiam in tuo servitio. Zelum meum inflammet charitas tua, tua scientia cognitionem meam dirigat, & constantia tua propositum bonum firmet; ut prædictis munitus, sim in tuo amore fervidus, circumspectus, & invictus: ne teporem habeam, ne cream discretione, & ne timidus efficiar; sed diligam te Deum meum toto & pleno cordis affectu. Diligam te tota rationis vigilantia & circumspectione: Diligam te tota virtute, adeo ut nec mori pro tuo amore pertimescam.

2. Sis suavis & dulcis Domine affectui meo, contra fallaces & male dulces vitæ carnalis illecebras; & vincat falsam dulcedinem dulcedo tua vera, quemadmodum clavum clavus extrudit: & sis intellectui prævia lux, & lux rationi; non solum ad cavendas hæreticæ fraudis decipulas, & ab eorum versutiis fidei veritatem vindicandam; verum etiam ut nimiam & indiscretam vehementiam in mea conversatione devitem: Tu namque Domine sapientia es, & vis amari non solum dulciter, sed & sapienter: alioqui facillime zelo meo spiritus illudet erroris, si scientiam negligam. Scio namque Domine, quod non habet callidus hostis machinamentum ullum efficacius ad tollen-

dum de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute & sine ratione ambulem.

3. Domine Iesu Christe, amantium fortitudo, robur & firmamentum, sim fortis & constans ad te amandum; non cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Diligam te Domine fortitudo mea, quia tu es firmamentum meum & refugium meum, liberator meus, Deus meus, adjutor meus; amor æternus, amor supereminens; amor, cujus magnitudinis non est finis; amor, cujus sapientiæ non est numerus; amor, cujus pax exuperat omnem sensum. Diligam te non verbo solum ac lingua, sed opere & veritate. Vt tua gratia in præsenti suffultus, in fine ad amantium gloriam, te misericorditer donante, perveniam sempiternam, Amen.

CAPVT XII.

Quid sit diligere Deum ex toto corde.

1. TOto corde te diligere (clementissime Domine Iesu Christe) immensitudo amoris est, non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, non frangi injuriis; sed integre te sic diligere ex toto corde, ut ad nullius rei dilectionem cor magis inclinetur, quam ad te; nec delectetur in aliqua re magis, quam in te. Minus enim te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. Totum namque exigis, qui totum hominem fecisti. Diligi enim debes Domine ex toto corde, ratione & creationis, & recreationis. Quia enim hominem fecisti, debet seipsum amori

amori tuo: & quia eum redemisti, debet se amori tuo. Et tanto magis debet se amori tuo, quam sibi ipsi; quanto tu major es ipso, pro quo teipsum dedisti.

2. O benignissime Domine Iesu Christe, amor immense, frange, mollifica cor meum durissimum: ut si ad alium non valet elevari, saltem ad purum amorem sensibilem flectatur; scilicet ad benedictam carnem tuam, & ad illa quæ in carne gessisti, vel jussisti, ut omnia libenter audiam, studiose legam, frequenter recolam, suaviter mediter, te annuntiatum contempler devote, aut nascentem, aut lactantem, aut docentem, aut jejunantem, aut prædicantem, aut miracula facientem, aut morientem, aut resurgentem, aut ascendentem, aut ad judicium venientem. Sic animus meus stringatur in amore tuo, ut carnis devitet vitia, fugiat illecebras, desideria maligna extirpet; & in te assidue recreetur, atque tuo dulcissimo amore pascatur.

3. Scio Domine, quod per amorem tuum vita carnalis excludetur, mundus contemnetur, & efficietur ac perficietur vita spiritualis. Vt ipsa in omnibus quæ oportet sentire, te sentiat, & vera fide firmetur; puritas conservetur, diabolica circumventio evitetur; augeatur exercitium virtutum, & amor tuus mihi dominetur, nec posthac separetur à me, sed sic in præsenti me gubernet, conservet, & vivere faciat, ut te adjuvante & donante, amor in regno tuo sit mihi vita sempiterna, Amen.

CAPVT XIII.

Quid sit diligere Deum ex tota anima.

1. DIligendus es (Domine Iesu Christe; totius amoris plenitudo) ex tota anima, scilicet fideliter, sicut nos dilexisti; qui maluisti animam tuam separari à corpore, quam animas nostras separari à te. Qui enim diligit tota anima, non timet mortem; quia dilectio est condimentum dulcorans: nam nihil dulcius aut delectabilius amore. Sine amore omnia sunt insipida & amara: quæ autem sunt amara, quantumcumque sunt amara, fiunt dulcia amore, sicut sancti Patres in desertis probaverunt, utentes pro alimento herbis & arborum corticibus, sicco pane & aqua frigida; terra pro lecto, lapide pro cervicali, & cilicio pro vestimento: in quibus omnibus propter amorem tuum, saporem, & delectationem, & dulcedinem magnam sentiebant. Omnia namque gravia & difficilia verus amor facit facilia, & quasi nulla. Ideo sancti Martyres omnia tormentorum genera, tanquam dulcia, non solum patiebantur, sed etiam hilariter pro ardenti amore sustinebant. Labor namque non fatigat amorem, tormentum amorem non superat: amor quiete sit inquietior. Quiescit afflictio, quiescit tentatio: sed dilectio quiescere nescit; requies enim est ei inquietudo.

2. Qui hujus amoris gustu inebriatus fuerit, ad omne opus bonum hilarescit: dolet, & non sentit: laborat, & non lassatur: deridetur, nec advertit. Amorem animæ thesaurus

rus nullus ſuperat. Neſcit enim homo precium ejus: quia omne aurum in comparatione amoris, arena eſt exigua. Sine amore, dives pauper eſt: & cum illo, pauper dives eſt. Quia qui Deum tota anima amat & diligit, jam habet quem amat. Nec eum vere diligere poſſet, ſi eum quem diligit, non haberet. Amorem tuum, Domine, alienus amor non occupat, nec ei commiſcetur; quia non poſſunt commiſceri vera vanis, cæleſtia caducis; ſpiritualia corporalibus, ſumma imis.

3. O clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, incomprehenſibilis dilectionis author & infuſor, ego miſerrimus peccator omni iniquitate plenus, te non dilexi ex tota anima mea; imo, quod damnabilius mihi eſt, tuo amore ſpreto & derelicto, amorem meum poſui in mundanis, vanis, & noxiis damnabilibuſque rebus. Et ſic iſte miſerabilis amor ducet me ad odium tuum perpetuum; niſi infinita tua miſericordia, infinitus amor tuus, adjuvare me dignetur. Augeatur igitur in me tuus glorioſus amor, qui me trahat ad te, relicto iſto tranſitorio amore, ut in tua dilectione perpetuo valeam manere, Amen.

CAPVT XIV.

Quid ſit diligere Deum ex tota mente.

1. PIiſſime Domine Ieſu Chriſte, totius exaltatio amoris, diligere te debemus ex tota mente; ſcilicet memoranter, perpetuo, ac perſeveranter; ut omnes ſenſus hominis, ſcilicet voluntas, intellectus, memoria,

ria, & omnes eorum operationes tibi vacent. Quod si in aliorum dilectione occupentur, jam ex tota mente, qui sic occupatur, te non diligit. Scriptum est enim: *Omni tempore diligit, quia amicus est.* Talis igitur dilectio totius est mentis ligamen, viscum & glutinum, hominem tibi indissolubiliter uniens atque ligans. Quia amor est quædam vis mutua & virtus agglutinativa, summa movens ad infima: & noviſſima, id est, subjecta, ad meliorum, id est, suprapositorum confirmationem; ut anima hoc glutino glutinata, tibi dicat; *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Tantus est namque amor à tota mente procedens, quod anima tibi unita tali dilectionis glutino, nec pæna, nec tormento, nec igne, nec ferro, nec ullo alio supplicio potest dissolvi, nisi adveniat peccati mortalis immunditia. Imo citius (Domine Iesu Christe, amantium portus) manus à brachio, caput à collo solveretur, & moveretur, quam anima tali glutino amoris tibi unita & conjuncta, à te aliquo modo separaretur. Res enim forti glutino glutinata, citius rumpitur & frangitur in aliis locis, quam in ipsa conjunctura.

2. Sic etiam est de anima, ut patet in sanctis Martyribus, qui à tuo amore nullis pœnis poterant avelli, vel quantulumcunque separari. Facilius enim pes separaretur à tibia, & caput à cervice, quam ipsi à te. O dilectio, quam magnum est vinculum tuum, quo ligari potuit Deus! O piissime Domine Iesu Christe, opifex amoris, hoc vinculum te in cruce tenuit, quem omnes funes totius mundi

mundi nullatenus tenuissent. Amor, benignissime Domine, ex mente procedens, *est triplex funiculus qui difficile rumpitur.* Quia te diligere debemus ex toto corde, id est, intellectu, sine errore; tota anima, id est, voluntate, sine contradictione; & tota mente & virtute, id est, memoria, sine oblivione. Concede mihi misericordissime Domine Iesu Christe, largitor amoris potentissime, gratiam te amandi toto corde, tota anima, & tota mente; ut à te nunquam valeam separari, sed tecum perpetuo in perfecto amore permaneam, Amen.

CAPVT XV.

Quod amor est fortis armatura animæ.

1. HOmo scuto & armatura munitus amoris tui, benignissime Domine Iesu Christe, in tentationis prœlio stat inconcussus, invincibilis atque firmissimus: non timens, etiamsi cum ea tota acies dæmonica decertaret. Tu enim, piissime Domine Iesu, homini amorem habenti, bonus adjutor & fortis defensor assistis, quia tu amor es: & qui in tuo amore stat, tecum stat. Assistis etiam homini dilectionem habenti, ut verus & fidelis amicus, qui libenter subvenit amico suo, & eum defendit, sicut scriptum est: *Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores* (id est, dæmones infernales, vel homines pestilentes) *disperdet.* Sed, Domine, non sic est de alia virtute: quia tu, si quis sine dilectione aliquid faciat, non sic præsto

præsto es ei, nec assistis ad adjuvandum. Dilectio vera in te Domine Iesu Christe, amator verissime, hominem invincibilem reddit. Eum enim ex omni parte protegit & defendit; quod nulla facit alia virtus, scilicet ex una parte tantum. Nam abstinentia à gula tantum defendit, pudicitia à luxuria, & ita de cæteris. Imo alia virtus sine dilectione ex una parte defendit, & ex altera succumbit, dum scilicet de ejus actu & opere oritur jactantia, & nascitur vana gloria. Vt patet in eleemosyna & jejunio quæ nihil valent: nisi tua dilectione directa sint & protecta.

2. Et ideo diabolus hanc armaturam dilectionis invadere summopere studet. Nam si castitas in nobis fuerit sine dilectione, non timet. Quia ipse in carne non premitur, ut in luxuriam dissolvatur. Abstinentiam non timet, quia cibo non utitur, qui necessitate corporis non urgetur. Distributionem rerum terrenarum non timet, si dilectio desit, quia divitiarum subsidiis non eget. Sed valde timet in nobis dilectionem veram, qua te diligimus & proximum: & semper concordiæ invidet, quia dilectionem, quam tenemus in terris, ipse tenere nolens, corruit è cælis. Dilectio tua, Domine Iesu Christe, ab omnibus diligi dignissime, omnem tentationem repellit, non alia virtus; nam alia virtus cum peccato & informis esse potest, ut etiam morales virtutes in philosophis fuere: ideoque non ab omni peccato, nec ab omni tentatione de-

defendunt. Sed dilectio tua omni peccato contrariatur,& omni tentationi resistit ; imo nec morti , nec tormento succumbit. Vinci nequit ; imo de morte obtinet victoriam & triumphum. Hanc veram dilectionem tribue mihi misericorditer , Domine Iesu Christe, tota virtus & vigor amantium , ut tecum in amore maneam in sempiternum, Amen.

CAPVT XVI.

Quod per amorem peccatum dimittitur.

1. TAnta est vis amoris , superamande Domine Iesu Christe, quod per amorem peccata remittuntur. Non est enim peccatum , quod dilectione tua non remittatur. Non culpa , non noxa tam gravis vel enormis; quæ adveniente dilectione tua non expellatur. Non macula tam fœda, tenax, ac etiam inveterata , quæ non dilectione & amore dissolvatur. Quia tua dilectio omni culpæ mortali contrariatur , nec cum aliqua esse potest. Habet enim tua vera dilectio omnem culpam expellere , sicut calidum frigus expellit. Sed non sic est de alia quacunque virtute. Vt patet de beata peccatrice, quæ tot peccata habuit ; & tamen dilectionis virtute omnia sunt ei dimissa , quia ab ore Veritatis dictum est : *Remittuntur ei peccata multa , quoniam dilexit multum.* Licet enim abundanter flevit, pedes lachrymis laverit , capillis terserit , pedes osculata fuerit & unxerit : tamen istis non attribuitur remissio , sed soli dilectioni. Quia sine dilectione parum valuissent,

sent, sed fuerunt signa quædam & scintillæ ignis, à dilectione præparata. Quæ eatenus tibi grata fuere, quatenus ab amore imperata. Dilexit namque te multum, quia ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente. Quod evidenter patet in iis dilectionis signis, quæ ostendit. Dilexit enim te super omnia, sed non nimis; quia tu Domine nimis diligi non potes; imo modus diligendi te, sine modo est.

2. Et in hoc etiam patet nobilitas & valor dilectionis ejus. Quia in excessu non amittitur, nec augmentum ejus in vitium vertitur, sed in commodum & profectum. Contra tamen homo potest nimis jejunare; eleemosynas dare, orare, & sperare. Virtutes quoque morales si transcendant modum vel medium, in vitium & malitiam convertuntur. O clementissime Domine Iesu Christe, amator bone, ego malus & vitiosus peccator, ista mente revolvens, nec mente, nec opere ad effectum perduxi; sed à vero amore & dilectione elongatus, & totus frigidus factus, in peccatis & vitiis innumerabilibus, tempus meum miserabiliter consumpsi. Adjuvare me digneris, misericordissime Domine Iesu Christe, immense fons amoris: & ut peccata mea benigne remittas, dilectionem tuam mihi digneris infundere sempiternam, Amen.

CAPVT

CAPVT XVII.

Quod amor est via rectissima ad Deum.

1. VEra dilectio (benignissime Domine Iesu Christe, qui es merces amoris) est via rectissima veniendi ad te. Nec opus est aliqua alia virtute, in cujus exercitio potest esse via obliqua. Sed solum amore & dilectione, quæ ad cælestem patriam vere ducunt. Quia alia quæcunque virtus informis esse potest, & cum peccato: Et ex ejus actu sæpe oritur vana gloria, quæ ut ventus impedit viatorem, imo impellit in chaos inferni. Nam peregre pergens, carnis afflictionem assumens, eleemosynas erogans, sæpe vento vanæ gloriæ impetitur; & dum ad pœnitentiam ire credit, labitur in infernum. Non ergo Domine Iesu Christe, susceptor amoris & largitor, jejunium, oratio, eleemosyna, est via recta omnino: sed amor & dilectio tua est via rectissima absque devio: via brevis absque tædio: via plana absque tumulo: via clara absque nubilo: via secura absque periculo: via jucunda cum bono socio, scilicet cum te Domine amantissimo duce: via veniendi ad æterna gaudia, quæ non permittit viatorem ad dexteram, quæ est prosperitas, nec ad sinistram, quæ adversitas est, declinare.

2. Ista via amoris, Domine Iesu Christe, dux amantium æterne, est vera, non ficta, neque palliata: via cordialis, non verbalis; via fructuosa, non ociosa; via non solum sermonis, sed etiam operis; via cauta,

non improvida; prudens, non fatua: ita quod persona ametur, & culpa refutetur. Via magna, non modica; ita quod animam suam ponat quis pro amicis suis. Via constans, non momentanea, sicut tu Domine in fine ostendisti: quia cum dilexisti tuos, in fine dilexisti eos. Si quis igitur, Domine Iesu Christe, amator constantissime, ad patriam cælestem velit celeriter pervenire; per viam dilectionis & amoris ambulare debet. Quia qui amat ardentius, currit velocius, & pervenit citius. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui ob nimium amorem, etiam non amantium misereris: iniqua & perversa atque falsa fuit dilectio mea. Quia non fuit cordialis, sed verbalis: non vera, sed ficta: meos amicos in suis sceleribus & peccatis defendi; & sic iniquos odio non habui. Amavi fortunam, & ea mutata, amorem mutavi. parce mihi, piissime Domine Iesu Christe, misericordissime amator, & veniam dare mihi dignare; & concede mihi misericorditer tantam ad te amandum gratiam, ut relicto vano amore tibi non placito, te super omnia amem, & diligam assidue; & sine alicujus temporis interpositione nec à tua dilectione separer, sed cum ea permaneam per infinita sæculorum sæcula, Amen.

CAPVT XVIII.

Quod amor obtinet, quæ juste petuntur à Deo.

1. AMor & dilectio, clementissime Domine Iesu Christe, qui es ipse amor postulata

postulata à te, prompte & facile obtinet. Quia illum, qui te veraciter diligit, libenter exaudis, & postulata ei concedis. Quia scriptum est: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Tam exuberans est amor tuus, dulcissime Domine Iesu Christe, spiritualis amator, quod tu diligenti te, una cum spiritualibus bonis, bona etiam temporalia tribuis & concedis, sicut dictum est à te: *Si obediatis mandatis meis, ut diligatis Dominum Deum vestrum; & serviatis ei in toto corde vestro, anima & mente vestra: dabo pluviam temporaneam & serotinam, ut colligatis fructum vini & olei, & fœnum ex agris.* Ostendis etiam & extendis diligenti te misericordiam, sicut scriptum est: *Faciens misericordiam in millia millium iis, qui diligunt me.* Infundis etiam sapientiam tuam diligenti te, sicut scriptum est: *Vnus est altissimus, & sapientiam suam* (id est, datum suum) *præbet diligentibus se.* Tribuis etiam & liberaliter concedis diligenti te gaudium & lætitiam, sicut scriptum est: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ.*

2. Diligentes igitur te, Domine Iesu Christe, amantium remunerator largissime, exaudis, & eisdem multa bona impertiris. Sed non sic illis evenit, qui te non diligunt, nec diligere volunt. Non enim eos exaudis, sed potius te provocant ad iram, cum aliqua à te petunt. Quia cum indignus ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. O misericordissime Domine, quoties provocavi? Quia indignissimus &

nefandissimus peccator, multa à te petii, & nullo dignus eram: quia te non dilexi corde & opere, sed solum verbo & lingua. Quare non amore, sed odio dignus eram, pœna, & non gloria. Sed in tuo indicibili amore confido, piissime Domine Iesu Christe; te, fons inexhausibilis amoris: quem à me obsecro non retrahas; sed illum mihi clementer concedas, quo inflammare digneris cor meum frigidum, ad amandum & diligendum te; ut sprete dilectione transitoria & caduca hujus miseræ vitæ, ad te elever per puram dilectionem in te manentem, per assiduam contemplationem, in sæcula sæculorum, Amen.

CAPVT XIX.

Quod amor Dei defendit & liberat à malis.

1. FIdelis & verus amicus es, (Domine Iesu Christe, amator vigilantissime) qui diligentes te custodis, liberas & defendis à malo & periculo; sicut ostendisti in servo tuo Daniele, te toto corde diligente: qui conjectus in lacum leonum, illæsus te protegente fuit extractus, & penitus liberatus. unde dixit: *Recordatus es mei, Domine, & non dereliquisti me.* Liberas igitur Domine diligentem à malo, & à leonis infernalis insultu, & illæsum eripis ab eodem. Et quia sicut fidelissimus amicus liberas à malo, protegis & defendis, clamat Propheta in persona cujuslibet te amantes: *Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & liberator meus; Deus meus adjutor, & sperabo in*

eum,

eum, Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

2. O misericordissime Domine Iesu Christe, ineffabilis dulcedo amoris: inæstimabilis est dilectio tua, quæ semper adjuvat peccatorem, & defendit. Peccat enim miserabilis peccator prava suggestione & cogitatione; sed tu es diligenti te *fortitudo*, ne cogitatio possit introire. Quod si peccator ultra procedat, scilicet ad delectationem, tu es tunc ei *firmamentum*, ne possit delectatio invalescere. Cum autem peccator ad consensum voluntati laxat habenas, tu Domine illi es *refugium*, ut consensui contradicat. Quando verò defendit peccatum, tu ei *liberator* es, ut ab audacia abhorreat. Si latenter peccare vult, tu illi es *adjutor*, qui ibique præsens es, ne id faciat: sed si patenter, tu es ipsius adversus nequitiam *protector*. Si autem inducatur in consuetudinem, tu es ei *cornu salutis*. Si vero falso seducatur, vel desperatione aut induratione conficiatur, tu ejus, ne desperet, neque induretur, *susceptor* es.

3. Fidelissimus igitur amicus es, Domine, & tua vera amicitia omnem aliam excedit amicitiam. Tu semper diligis, in vita & morte. Tu diligis in prosperitate & adversitate, & etiam magis fœlicem mortuum, quam infœlicem vivum. Tu Domine plus in immensum amas, quam amaris; & etiam amas, licet non ametis. Tu propter patres amas filios; imo propter unum bonum in civitate vel societate, amas multos malos.

O amantissime Domine Iesu Christe, ego miserrimus & pravissimus peccator omni dilectione vacuus, sed malitia & iniquitate plenus, te, ut debuissem, non dilexi: sed cor durum & vagum habendo, ad diligenda frequenter mihi damnosa & noxia ipsum applicui, quod erigere digneris Domine ad te amandum semper: ut vita mea & gloria mea sit dilectio tua sempiterna, Amen.

CAPVT XX.

Quod amor Dei reficit hominem.

1. NOn honor, non pecunia, neque aliqua terrena substantia, nec etiam virtus, nec ars aliqua vel scientia, (benignissime Domine Iesu Christe, plenitudo amoris) potest implere animam, & satiare conscientiam, sed sola & vera dilectio tua. Nam dilectio aut est cum gratia, aut sine: at sine ea non potest esse dilectio vera. Illud autem quod in via potest solum reficere & quietare animas, est gratia, cum qua similiter est dilectio vera. Et quia qui diligit te Domine, habet te, sicut scriptum est: *Si diligimus invicem, Deus in nobis manet:* non potest esse pauper, quia Deum habet quem amat. Et quomodo potest esse pauper, qui te, qui es omne bonum, habet in conscientia? Qui habet aurum in arca, dives non est: sed qui te habet in conscientia, dives est. Vnde scribitur de te: *In me sunt divitiæ & gloria, ut ditem omnes diligentes me, & thesauros eorum repleam.*

2. O misericordissime Domine Iesu Christe,

ſte, in amore ditiſſime, qui ditari cupit, & ſatiari, dilectionem veram debet habere, quæ mentem reficit, perficit, & eidem ſufficit. Nam qui vera dilectione caret, etiamſi omnes divitias mundi haberet, & inſuper ſapientiam, fortitudinem, ſimplicitatem, pulchritudinem, omnes denique virtutes à Philoſophis conſcriptas, pauper tamen & miſerabilis eſſet; quia illis non contentus, alia ſemper appeteret. Ideo de quodam diligente terrena ſcribitur: *Tu dicis, quia dives ſum & locuples, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, pauper, nudus & cæcus? Suadeo tibi emere aurum ignitum, ut locuples fias.* O clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, amor conſumens, quantam doctrinam nobis peccatoribus oſtendiſti pro ſalvatione noſtra moriendo; ut emamus aurum ignitum, per quod intelligitur amor & dilectio! Quia ſicut aurum excedit omnia alia metalla, ſic dilectio omnes alias virtutes.

3. Debet autem hoc aurum eſſe ignitum amore tuo, & delectatione tua ſumme inflammatum. Neque emitur nummo vel denario, ſed bona voluntate, bono deſiderio, bono affectu. Vnde hac dilectione nihil melius emitur, & nihil charius eſt, cum poſſidetur. O piiſſime Domine Ieſu Chriſte, locuples in amore, ego ſum miſer & miſerabilis, pauper, nudus, & cæcus. Da mihi hoc aurum ignitum, hoc eſt, dilectionem tuam, quo inflammetur mens mea, ut reficiatur & quietetur in te, & ipſe ditatus gratia & dilectione tua, ad regnum amoris perveniam ſempiternum, Amen.

CAPVT XXI.

Quod amori Dei est insistendum.

1. INsistendum est (clementissime Domine Iesu Christe, amator bone) dilectioni tuæ; quia dilectio non est nisi boni, & tu es fons totius bonitatis. Tu es pater creatione & deitate: Tu es frater redemptione & humanitate: Tu es Dominus naturalis, non extraneus. Quicquid habemus, à te habemus; & in fine à te expectamus præmium sempiternum. Et ideo conveniens est, ut te diligamus, & tuæ dilectioni continue insistamus, sicut scribitur: *Audi Israël, quid nunc requirit Dominus, aut quid petit à te? Nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus: & diligas eum, & servias ei in toto corde tuo, anima & mente tua: custodiasque mandata Domini, ut bene sit tibi.* Israël quilibet fidelis Christianus, per fidem te videns: qui ad diligendum te maxime est astrictus, qui à te magis dilectus. Nam dilexisti nos, & lavisti in sanguine tuo. Tu consulis nobis, & mones dulciter, non acriter, quæ à nobis requiris: scilicet, ut te timeamus, dum dicitur: *Vt timeas Dominum Deum tuum.* Vnde in timore tui originem suam habet dilectio; quia scriptum est: Timor Domini initium dilectionis. Quæ vires accipit & augetur exercitio aliarum virtutum, dilectione imperato. Et ideo dicitur: *Et ambules in viis ejus:* id est, bonis operibus; utpote, eleemosyna, jejunio, oratione, & cæteris. Et his

his enim vegetior redditur dilectio, sicut ignis lignorum appositione.

2. Completur autem dilectio tui Domine ex affectu interioris amoris; ideo dicitur: *Vt diligas Dominum Deum tuum.* Completur etiam ex actu exterioris honoris: ideo dicitur: *Vt servias ei in toto corde tuo, anima, & mente tua.* Conservatur denique mandatorum tuorum observatione, ideo dicitur: *Custodiasque mandata Domini, ut bene sit tibi.* O benignissime Domine Iesu Christe, quem justissimum est amari, utilem & salubrem regulam te diligendi nobis clementer dedisti. Nam summæ æquitatis est, ut te timeamus; summæ levitatis, ut in viis tuis ambulemus; summæ bonitatis, ut te diligamus; summæ dignitatis, ut tibi serviamus; summæ æquitatis & sanctitatis, ut mandata tua custodiamus. O piissime Domine Iesu Christe, amator misericors & juste, non ponderes peccata mea ad vindictam, sed misericorditer mihi ea condonare digneris: desque mihi gratiam tuam, ut per timorem tui, oriatur in me vera dilectio per affectum interioris amoris, & per actum exterioris honoris compleatur, & per observationem mandatorum tuorum conservetur, ut mihi bene sit te amando, nunc & in perpetuum, Amen.

CAPVT XXII.

De utilitate & facilitate amoris.

1. VErba tua verissima sunt, misericordissime Domine Iesu Christe, (ex-

emplum & forma amoris) qui dixisti: *Iugum meum suave est, & onus meum leve.* Hoc est, Domine, te veraciter diligere & amare, quod summe suave est & leve, adeo quod nullus habet, nec habere potest causam, aut excusationem aliquam te non diligendi. Vnde si alicui dicatur quod jejunet, dicere potest: corpus habeo fragile. Si dicatur ei, quod det, potest dicere: pauper sum. Si dicatur ei, ut oret, & limina Sanctorum visitet, potest dicere: infirmus sum. Sed cum ei dicitur: Dilige Deum & proximum, nullam habet excusationem. Quare benignissime Domine Iesu Christe, dilector amoris; scio, quod tam facile est te diligere, quod ex hoc corpus non affligitur, pes non pungitur, caput non dolet, venter non laeditur, lingua non vexatur, crumena non evacuatur; quia dilectio proprie consistit in anima, & inde sequitur, quod qui amat, non laborat.

2. Non est dilectio super facultatem hominis, ita quod non possit eam perficere. Nec est dilectio longe ab eo, scilicet ultra cognitionem ejus, ita quod non possit eam apprehendere, sed est juxta hominem, scilicet in ore ejus & in corde, ut impleat eam, & diligat te Domine, qui es summe glorioſus, summe delectabilis, & summe precioſus. Amicitia namque est respectu boni honesti, delectabilis aut utilis: quæ omnia sunt in te Domine Iesu Christe, superamabilis & superbone. Ex dilectione homo vivit vita gratiæ, & multiplicat bona opera, ut

ut terram viventium possideat. Facilis res est (Domine Iesu Christe superamande) dilectio, à qua nullus, cujuscunque status, gradus aut conditionis existat, excusari potest. O miser & miserabilis peccator, quid faciam? Oculata enim fide hoc video & cognosco, quod facere deberem, & non facio. Scio (clementissime Domine) me nullo modo aliter tibi placere posse, nisi per dilectionem. Ad illam meum animum non converto, illam vilipendo. Ad illam habendam me non dispono, sed inclinationes meas ad vitia & peccata perficio. In illis permaneo, in illis delector, in illis fere continue prostratus miserabiliter jaceo. Respicere ergo me dignare, piissime Domine Iesu Christe, animarum per amorem purgator, oculo tuæ pietatis & misericordiæ. Dele iniquitatem meam maximam, & inclina cor meum pravum & perversum ad te diligendum & amandum. Non recedam à te, neque à tua benignissima voluntate: sed quicquid præcipis faciam; quicquid prohibes, evitem totis viribus, cogitatione, locutione, & opere; ut te donante, dilectionem tuam obtineam sempiternam, Amen.

CAPVT XXIII.

Quod diligere Deum est summe leve.

1. FRuctus & utilitas (Domine Iesu Christe, totius dilectionis author) quæ ex dilectione tua acquiritur, non solum est æterna gloria, de qua dictum est:

Quod

Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparasti diligentibus te. Sed etiam est utilitas magna in hac vita, quia diligens te Domine, si contingat eum deficere vel errare, dulciter corrigitur & castigatur à te, sicut dilectus filius à patre, qui de servo extraneo non curat. Vnde magnum signum amoris tui est, Domine, correptio & immissio flagelli. Sed homines desperatos & perversos quolibet ire permittis, & in præcipitium peccatorum incidere. Quia quem diligis castigas; & flagellas omnem filium quem recipis. Diligens te, Domine, pacifice conversatur: est enim in pace conscientiæ, & tranquillitatis jucunditate, non in simultate & odio.

2. Diligens te Domine diligenter, per te à malo præservatur. Sicut enim homo pupillam oculi sui sedulo custodit, & eam summe diligit: sic tu Domine Iesu Christe, amator bone, amicum & dilectum tuum protegis, & defendis, & custodis; ne in peccatum labatur, neve à diabolo affligatur. Scriptum est enim: *Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eas.* Custodis animas, non cutem carnis splendidam, non possessiones & terras, quia talia tibi chara non sunt. Sed custodis animas sanctorum, ne in peccatum labantur: & de manu peccatoris liberas eas, ne à dæmone affligantur. Diligens te (Domine Iesu Christe, amantium gloria) multum honoratur: quia actus diligendi, est actus tuus & Angelorum, non dæmonum.

Tu

Tu enim diligis, quia scriptum est: *Ego diligentes me diligo.* In Angelis autem est vis & actus maximi amoris, quo ad te Domine, quo ad eos, quæ sui sunt consortii, & quo ad nos. Diligunt enim adeo quod ordo supremus, ab ardore charitatis nominatur Seraphim. Diligentem te Domine suscipis ad pœnitentiam, eidem remittis offensam; & tua maxima pietate inenarrabilique benignitate, ac inæstimabili largitate, gratiam misericorditer donas & tribuis.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, semper amari plus quam dignissime, quanta miseria ego nequissimus peccator plenus sum; qui perspecta tanta utilitate tui amoris, te propter temetipsum diligere debebam! Quod si pauper teipsum diligere nolebam, saltem propter meipsum & utilitatem meam te diligere debebam. Vt ex inordinato amore tandem venirem ad verum amorem tuum; qui est diligere te non ob aliud, sed propter teipsum solum. Mihi ergo digneris succurrere benignissime, & creare in me cor mundum; ut ab iis quæ tibi displicent, abhorrendo, & in ea penitus execrando, te diligam & amem, & tibi serviam, tibi obediam, præcepta tua adimpleam; ut te vere, ordinate, non ob aliud quam ob teipsum, diligam per infinita sæculorum sæcula, Amen.

CA-

CAPVT XXIV.

Quod amor est vestis preciosa animæ.

1. INvitatus ad tuas cœlestes nuptias (dulcissime Domine Iesu Christe, amantissime cælestis sponse) vestem nuptialem deferre debet: ne si forte intret sine veste nuptiali, ejiciatur jussu tuo extra, & projiciatur in tenebras exteriores, ubi semper est & erit fletus, & stridor dentium. Ista vestis (o benignissime Domine) est amor & dilectio, quæ excellit omnes alias virtutes. Ista vestis ex precioſis filis, id est, tuis beneficiis homini collatis, est contexta, & subtili magisterio facta, & decorata: quæ designatur per tuam tunicam inconsutilem, quæ nec scissa fuit, nec divisa. Quia amor, neque dividi debet, neque scindi. Et qui eum dividunt vel scindunt, pejores videntur quam milites te crucifigentes, qui tuam tunicam dividere noluerunt.

2. Ista vestis nuptialis, Domine Iesu Christe, sponse amoris, summe potens & efficax existit. Quia defendit hominem à frigore cupiditatis, & ad tuum amorem hominem inflammat, ipsumque ornat plurimum & venustat. Ista vestis nuptialis sola distinguit filios regni, & perditionis. Quia qui eam defert, regnum tuum intrabit, ut conviva tuus & filius charissimus; qui vero ea caruerit, etiamsi deserat omnes alias vestes, id est, omnes alias virtutes, expelletur à regno tuo. Ista vestis operit multitudinem peccatorum. Ista vestis commendabilis est

est colore & valore; est enim deaurata, vel potius aurea, juxta illud: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Et sic ista vestis ornat animam, quod sine ipso ornatu, indigna est anima cælum ingredi. Ista vestis nuptialis munit hominem, quia fortis est ut mors dilectio. Ejus etiam preciositas patet ex materia. Quia si preciosum sit, quod trahitur ex metallis, gemmis & animalibus, longe preciosius est quod ex te trahitur. Ista autem vestis nuptialis ex te venit, & à te procedit. Ex ea quoque tegimur, vivimus, & ditamur. Qui enim hanc vestem habet, nihil ei deest: & sine ista nihil ei prodest.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, cælestis sponse, ego miserabilis peccator nudus sum, & cum hanc vestem nuptialem non habeam, non sum dignus ut intrem ad tuas cæleſtes nuptias, sed ut projiciar in tenebras exteriores. Succurre ergo mihi, piissime Domine Iesu Christe, æterni nuptialis convivii dispensator largissime; & da mihi tua benignitate hanc vestem glorioſissimam, ut invitatus & vocatus ad tuas sempiternas nuptias, illuc cum veste nuptiali intrem, ibique cum amicis tuis amore tuo perpetuo fruar, te laudem, te admirer, te glorificem æternitatis Regem, & glorioſissimum sponsum, viventem, & regnantem in sæcula sæculorum, Amen.

CA-

CAPVT XXV.

Quod amor à malis animam custodit.

1. VErus amor (Domine Iesu Christe, amantium conservator) custodit hominem à peccatis. Custodit namque ab æmulatione, sive invidia, quæ vehementer corrumpit animam. Inde enim provenit, ut anima in malis proximi delectetur, & in bonis contristetur. Sicut verus amor facit, ut in bonis proximi delectetur, & in malis contristetur: quia sicut viror naturaliter delectat visum corporis, sic bona naturaliter delectant animam. Custodit Domine, verus amor ab ambitione, quæ est, cum quis quærit sui exaltationem, & proximi dejectionem. Vt sic altior factus, à pluribus videri possit, & in admiratione haberi. Nam verus amor, sui exaltationem & proximi dejectionem non quærit. Custodit Domine verus amor ab amore nimio proprii boni; ex quo solet fieri, ut homini nullo modo cura sit de bonis proximi, imo cum scandalo sua repetat: quærit namque propria commoda, & negligit aliena. Verus autem amor, quæ sua sunt non quærit, sed quæ tua sunt, Domine.

2. Custodit etiam verus amor à maligna cogitatione super injuriis vindicandis: Talis autem cogitatio, quasi ferrum in vulnere semper hæret. Et ideo scribitur: Auferte malam cogitationem ab oculis meis. Verus namque amor, Domine, omnia remittit propter te; repellitque non solum actum, sed

sed etiam omnem cogitationem. Custodit Domine verus amor, ne gaudeat homo super iniquitate, quod est diabolicum, & signum magnæ corruptionis animæ, & elongationis à te, cum talis iniquitas summe tibi displiceat. Sed verus amor, Domine, semper gaudet de bono, & non de malo. O misericordissime Domine Iesu Christe, amantium custos fidelissime, dum præmissa omnia & singula mente revolvo, sentio me à vero amore elongatum. Quia invidia plenus fui & sum, me ipsum exaltavi, & proximum dejeci. Me nimis dilexi, animum habui vindictæ cupidum, in malitia gaudium concepi. Et denique ad omne malum, propter amoris tui defectum, multipliciter pronus fui. Adjuva me, piissime Domine Iesu Christe, largitor & conservator amoris. Et da mihi verum amorem indeficientemque; ut ab iis, quæ tibi displicent, abhorream; & quæ tibi placent, recipiam, teneam, & adimpleam; ut in fine tuam gloriam perenniter & sine fine diligam, Amen.

CAPVT XXVI.

Quod amor in se continet doctrinam veritatis.

1. PErfectus amor (clementissime Domine Iesu Christe, qui omnes perficis amantes) docet veritatem; quia in dilectione tota lex pendet & prophetæ. Quicquid latet, & quicquid patet in divinis sermonibus, & in tota sacra scriptura, dilectio ipsa comprehendit; Quia scriptum est:

Plenitudo legis est dilectio. Nam tota lex, imo tota scriptura, aut præcipit & consulit ea quæ faciunt ad tuam & proximi dilectionem, sicut patet in præceptis affirmativis; aut inhibet & dissuadet illa, quæ impediunt & dirimunt dilectionem, ut liquet in præceptis negativis. Quid ergo est quod scribitur: Qui proximum diligit, legem implet: nisi, quod qui diligit proximum, diligit & te Deum? Quia eadem est virtus & dilectio, qua quis utrumque diligit. Vt idem est radius, quo quis Solem & terram intuetur: sed illum in imo tuæ dilectionis radio diligit, te autem in illius summo. Aliarum autem rerum dilectio, qualis est in mundo, ô Domine Iesu Christe, Sol amoris, miserabilis profecto est & stulta, & exprobrabilis insania; quod scilicet relicto tuo amore, dilectioni aliarum rerum homo adhæreat. Sed benignissime Domine Iesu Christe, ad verum amorem reluctor ego gravissimus peccator, dando meipsum voluntarie quodammodo in reprobum sensum: tuam veram & animæ meæ contemnendo dilexi vanam voluptatem, interdum fortunam & temporalem facultatem non considerans, quod qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.

2. Dilexi frequenter mundanam vanitatem, contra consilium scripturæ, dicentis: Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem? Interdum dilexi irrationabiliter cognationem & propinquitatem meam plus quam te, & sic non eram te dignus. Qui amat patrem aut matrem plus quam te, non est te dignus.

Ali-

Aliquoties dilexi munera & dona, sæpe etiam superstitiones & deliramenta; frequenter contumelias, detractiones, ac convitia. Et ideo dignus eram ut maledictio mihi veniret, sicut scriptum est: Dilexit maledictionem & veniet ei. Dilexi interdum vindictam, & malitiam, & iniquitatem, quas reprehendit scriptura, dicens: Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui æquitatem. Ista fuit, ô superamande Domine Iesu Christe, miserabilis & iniqua vita mea, non attendens scripturam, dicentem: Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Sed tu misericors & miserator Domine, ignoscere misericorditer mihi dignare; & illustra mentem meam, ut te perfecte diligam, ut sic informetur anima mea doctrina veritatis; ut tecum, qui es amor & veritas, in amore & veritate vivam per infinita sæculorum sæcula, Amen.

CAPVT XXVII.

De amore, quo Deus diligit hominem.

1. AMantissime Domine Iesu Christe, tu diligis hominem, qui servat munditiæ puritatem. Simile enim suum diligit. Et quia tu purus es, & omnium maxime purus; ideo diligis puros, sicut scriptum est: Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem. Sic enim dilexisti beatum Ioannem Euangelistam, de quo scribitur: Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus. Diligis etiam Domine hominem, qui tenet sa-

pientiæ claritatem atque veritatem. Quia ſcriptum eſt: Neminem diligit Deus, niſi qui cum ſapientia eſt; quia non poteſt venire commodum neque honor de amicitia ſtulti. Ideo Domine dilexiſti Salomonem, ſicut ſcribitur: Vocavit Dominus Salomonem, & dilexit eum. Diligis Domine Ieſu Chriſte, amator innocentiſſime, illum qui amat innocentiæ levitatem, ſicut dicitur: Scio Domine Deus (ait David) quod probas renes & corda, & ſimplicitatem & non doloſitatem diligis. Diligis etiam Domine amicitiam amicitiæ rependentem, & ſervantem amicitiæ firmitatem, ſicut tu Domine dixiſti: Ego diligentes me diligo. Hoc namque juſtum eſt, quod qui diligitur, diligat. Sic enim Moyſen dilexiſti, ſicut ſcribitur: Dilectus Deo & hominibus Moyſes.

2. Diligis Domine Ieſu Chriſte, amantium liberaliſſime, illum, qui oſtendit effectu beneficentiæ ſuæ largitatem. Quia hilarem datorem diligit Deus. Largi enim & pii diliguntur à te. Sicut patet etiam de Martha, cujus animus erat largitate & pietate fœcundus. Ideo ſcribitur: Diligebat Marthan Ieſus. Diligis Domine illum, qui ſectatur juſtitiam & æquitatem, quia ſcriptum eſt: Qui ſectatur juſtitiam, diligitur à Domino. Sic enim dilexiſti Domine Samuelem æquitate ſolidum, ſicut ſcriptum eſt: Dilectus à Deo Samuel Propheta. O dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, omnium perfecte amator, dum omnia prædicta in mentis meæ ſecreto conſidero, erubeſco, imo corde

corde deficio præ timore: Quia non sentio in me miserabili peccatore aliquam ex causis prædictis, ob quam tu debeas me diligere, sed potius ob oppositа odio habere. Sed tamen ad tuam immensam clementiam confidenter accedo, ut parcere mihi digneris, & remittere misericorditer omnia peccata mea. Et sic me disponere in cogitatione, locutione & opere, ut per innovationem tibi placeam; & causam habeas me diligendi: ut te diligentem me, per infinita sæculorum sæcula vicissim diligam, Amen.

CAPVT XXVIII.

Quod amor est excellentissima virtus.

1. INter cæteras virtutes (benignissime Domine Iesu Christe, semper amabilis, excellentissime) vera dilectio est excellentissima; & ideo oleo comparatur: Quia sicut oleum aliis liquoribus supernatat, sic vera dilectio alias virtutes vel gratias antecellit. Ista vera dilectio sic reddit tibi Domine hominem charum & precioſum, ut filius tuus nominetur. Qui autem illum non habet, despectus est, & erit coram te sicut stilla fistulæ, de quo & similibus scribitur: Ecce gentes quasi stilla fistulæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, & quasi pulvis exiguus. Scio Domine Iesu Christe, operum & virtutum æstimator justissime, quod licet talis exerceat opera de genere bonorum, parvi tamen valoris

sunt, si dilectionem non habeat; nec ex ipsis operibus, quantumcunque fuerint preciosa, obtinere valebit regnum cælorum, nisi ea faciat in dilectione & amore. Hæc enim vera dilectio unit hominem tibi tanquam capiti, & fidelibus tanquam membris. Ideo hæc unio valde chara debet esse homini. Sicut enim unitas, quæ est inter caput & corpus, diligitur; sic etiam incomparabiliter diligi debet unitas, quæ est ex vera dilectione inter te & hominem; & abscissionem & separationem tantæ veritatis summopere cavere debet homo, & fugere plus quam proprii capitis abscissionem. Sine hac vera dilectione, nullum verum bonum adest homini; imo in vanum & frustra habentur cætera bona, saltem quantum ad salutem æternam obtinendam. Si autem homini adsit vera dilectio, habet omnia bona vel in se, vel in aliis.

2. Vera dilectio, Domine, est scientia & sapientia, de qua scribitur: Dilectio Dei honorabilis sapientia. Vnde non solum scientia esse videtur, quia scientia in multis hominem regere non potest, vera autem dilectio potest. O misericordissime Domine Iesu Christe, amantium rector & gubernator, quoties hanc unionem veræ dilectionis ego miser & sceleratus divisi & fregi perpetratione multorum & diversorum peccatorum! Et proinde opera mea inutilia feci, & tempus mihi datum ad operandum bonum perdidi. Adjuva me piissime Domine, & dele iniquitates meas. Et reforma in me veram dilectionem, qua mediante opera talia hic impleam,

pleam, quo ad regnum amoris æternum tandem pertingere valeam, Amen.

CAPVT XXIX.

De amore Dei & proximi.

1. ORdinata dilectio (clementissime Domine Iesu Christe, qui omnia per amorem ordinas) est amor verus ad te, & proximum. Nam hominis amor ordinatus ad te est, si te amet propter te, & super omnia. Si autem amor quo quisquam te amat, est propter temporalia, non est amor ordinatus, sed tibi contumeliosus. Quia qui te amat propter temporalia, plus amat temporalia quam te. Vnde cum tali amore præponatur creatura tibi creatori, non est hoc sine contumelia & offensa tui. Non enim est amor ordinatus, nisi tu super omnia ameris, cum tu in infinitum melior sis omni creatura. Amor vero proximi ordinatus est, si ametur proximus propter te, & quia æque ad te ordinate amandum creatus est. Si autem parentes aut propinqui plus quam tu amentur, non est talis amor ordinatus: neque sic amans est te dignus. Duo enim sunt præcepta à te nobis data: Dilectio Dei & proximi. Et licet duo sint præcepta, tamen unus est amor, quia alius amor non est quo quis diligit proximum, & quo diligit te, alioqui non esset propter te. Nec potest te quisquam diligere, qui in proximi dilectione noscitur oberrare.

2. Cogitatio namque hominis, Domine Iesu Christe, veræ dilectionis ordinator,

semper debet esse ad te diligendum, & proximum: te quidem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente; proximum autem sicut seipsum: ut scilicet caveat inferre proximo, quæ sibi inferri nollet: & impendat ei beneficia quæ sibi vellet impendi. Ista namque, benignissime Domine, semper sunt attendenda, semper cogitanda, semper retinenda, & semper totis viribus exercenda, & adimplenda. Per amorem autem proximi cognoscitur amor tuus, Domine, conservari & nutriri: nam qui vere te amare negligit, diligere proximum nescit. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solam amas ordinatam dilectionem, quid dicam aut quid faciam ego durissimus peccator, qui præ maxima duritia cordis mei non te ordinate dilexi, neque proximum propter te; sed frequenter propter utilitatem propriam consequendam, aut damnum evitandum: & ita non fuit in me verus amor, sed adulterinus. Auxiliari mihi digneris, piissime Domine Iesu Christe, charitatis & pulchræ dilectionis ordinator, parcendo mihi peccatori, & misericorditer impertiendo immensam clementiam tuam, & cor meum lapideum sic mollificando, ut ad te tota mente convertat, te diligam, & proximum propter te; ut tecum in ordinata charitate vivam in æternum, Amen.

CA-

CAPVT XXX.

De amore inimicorum.

1. MAgnum est, (dulcissime Domine Iesu Christe, qui nihil odis) si erga hominem, qui nihil mali mihi fecit, sum benevolus, & pacificus. Sed Domine, illud multo majus est, & magnificentissimæ benignitatis tuæ similius, si meum diligam inimicum, & ei, qui malum mihi intulit, & adhuc inferre vult, si possit: bonum semper velim, & faciam si possim: à tua gratia & benignitate Domine hoc procedit. Nihil tibi in natura similius est, quam homo, qui malevolis & inimicis lædentibus placabilis est. Qui enim diligit inimicum, imitatur te, qui dilexisti nos cum adhuc inimici essemus. Et non solum dilexisti, sed & tunc pro nobis mori morte turpissima voluisti, & pro crucifixoribus rogasti. Nobis quoque præcepisti, ut inimicos diligeremus, sicut scriptum est: Diligite inimicos vestros, & benefacite iis, qui oderunt vos. Et sequitur præmium, quod promittis. Vt sitis filii Patris vestri, qui in cælis est. Vna namque est & summa (Domine Iesu Christe, cui proprium est misereri & parcere) probatio dilectionis, si nos eum diligamus, qui nobis adversatur, & bona nostra impendit. Probari etiam solet dilectio per solam odii adversitatem. Vnde sicut homo vincitur humana fœlicitate, sic diabolus vincitur inimici dilectione.

2. O Domine Iesu Christe, in amo-

tem misericordissime, & in misericordia amantissime; scio, quod separatio à te, mors est animæ: & contra, unio per dilectionem tecum, vita. Sicut igitur quilibet naturaliter amat vitam corporalem, & mortem timet: sic & amare debet veram dilectionem, & vitare odium. Quia, qui non diligit, manet in morte: in morte enim culpæ jam talis est, & debitor est mortis æternæ. O clementissime Domine Iesu Christe, à quo exulare non potest amor, licet tibi non sint occulta, quæ ego nefandissimus peccator gessi; tamen corde & ore confiteor, me inique vixisse, & præ mea malitia & iniquitate, vera dilectione caruisse. Inter alia, Domine, quæ male concepi & egi, est quod inimicum odio habui. Et licet scirem ex mandato tuo, quod eum diligere deberem, vilipendi tamen & sprevi mandatum tuum. Simultatem contra multos concepi, & conceptam corde & animo complevi. Et si quandoque facto non compleverim, ad detractiones tamen & infamationes processi. Succurre mihi, piissime Domine Iesu Christe, per tuum benedictum & misericordem amorem, veniam mihi concedendo, ut vitam meam miserabilem emendem: & sic te diligam, & alios propter te, ut hic amor nunquam deficiat, sed in vitam perduret sempiternam, Amen.

CAPVT

CAPVT XXXI.

Contra amorem sui ipsius.

1. QVis est (benignissime Domine Iesu Christe, per quem & cum quo æternus processit amor) qui te vere diligit? Credo & scio Domine, quod ille solus novit se vere diligere, qui veraciter te amet, & sedulo agit, ut te, qui es summum & verum bonum, amando fruatur. A te Domine manat vera amicitia, quam non temporalibus commodis, sed gratuito amore metiri convenit. Nemo enim potest veraciter seipsum amare, qui te veraciter non amaverit. Nam te amando, seipsum amat; te autem non diligendo, seipsum non diligit. Quia amor proprius & privatus, oculum mentis vehementer claudit; & est omnium causa, radix, & fomes malorum. O Domine Iesu Christe, Sol unde fluunt radii amoris, quanta insania plenus est ille, qui solummodo seipsum amat! Nam talis perversio amoris, est fundamentum abjectæ charitatis, & crescit usque ad contemptum tui. Duo namque amores civitates duas faciunt, scilicet Hierusalem & Babylonem. Cælestem Hierusalem facit amor tui usque ad contemptum sui; sed infernalem Babylonem facit amor sui usque ad contemptum tui.

2. O iniquum & perversum amorem, qui sic me miserum peccatorem colligavit & incitavit, ut verum amorem abjicerem & contemnerem; & se toto corde am-

amplecterer, se desiderarem, se tenerem, se uterer totis viribus: & se celando in occulto pectoris, in culpam facile pravi cordis laberer & operis. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solus amari dignissimus es, quid faciam ego iniquissimus peccator? Quem amatorem potero invenire, qui me diligat, cum nullum dilexerim nisi meipsum, & in peccatis innumerabilibus vixerim? Quis me liberabit à ventura ira, à rugientibus præparatis ad escam, & à laqueo infernali? Meipsum juvare non possum, neque te requirere audeo, cum te non dilexerim. Imo quia neminem dilexi, neminem audeo in adjutorium meum invocare. Sed ad tuam immensam pietatem recurro, ô amor, qui errantes reducis; qui misericors es & miserator, & neminem vis perire, sed salvas sperantes in te. Succurre ergo mihi, & da veniam de peccatis; & gratiam, ut nunquam me respiciam, sed te, vel me in te; ut diligam te toto corde, nec à tua dilectione unquam recedere valeam, sed ipsam conservem nunc, & in vitam sempiternam, Amen.

CAPVT XXXII.

Contra amorem mundi.

1. SCio & expertus sum ego ingratissimus peccator, (clementissime Domine Iesu Christe, supercælestis amator) quod amor mundi, animas, quas ingreditur, quietas esse non patitur: semper enim suspicionibus vanisque terroribus solicitat eas.

Talis

Talis namque amor mundanus premit amatores ſuos, & non adducit eos ad bonum; ſed qui tali amore uritur, à tuo amore Domine excluditur. Talis amor mundanus cum tuo amore non jungitur, nec ei congruit, neque ad ſocietatem filiorum tuorum pervenit: qui ſe à carnali generatione non dividit.

2. Amor mundi Domine ſeſe cum ſuis conſolationibus, ne dicam deſolationibus, undique ingerit: per auditum namque, quaſi per feneſtras irruit: & mentes ſuorum amatorum vehementer occupat. Animam polluit, charitatem violat, proximum lædit; te Dominum ſpernit, amorem tuum repellit, totum hominem capit, ac eundem decipit. Cum labente labitur: & cum eum tenere quiſpiam credit, de facili evaneſcit. Non conſolatur, ſed contriſtat; non permanet, ſed fugit. Ejus dulcedo in amaritudinem vertitur; ejus pulchritudo in horrorem mutatur: ejus deſiderium in pœnam convertitur. Qui hujuſmodi amorem amplectitur, decipitur, & præcludit ſibi ipſi ingreſſum tui amoris: quia ubi amor mundi inhabitat, non ingreditur amor tuus.

3. O benigniſſime Ieſu Chriſte, amor increate, væ mihi impiiſſimo peccatori, qui creaturam amando, te creatorem deſerui, propter condita conditorem reliqui, tranſitoria dilexi, & ſempiterna ſprevi. Deſolationes pro conſolationibus ſuſcepi, pœnam pro gloria, mortem pro vita, peccatum pro virtute, & mendacium pro veritate. O miſericordiſſime Domine, reſpicere me dignare

oculo

oculo pietatis & misericordiæ, & mihi misericorditer ignoscere. Aufer à me amorem sæculi; & da mihi gratiam, ut te amem & diligam corde & opere: nec ab amore tuo separer, sed in ipso permaneam in perpetuum, Amen.

CAPVT XXXIII.

Contra amorem divitiarum.

1. CErta experientia didici (benignissime Domine Iesu Christe, sine mensura in amore dives) quod nihil laboriosius est in hoc mundo, quam terrenis æstuare desideriis. Nam terrenarum divitiarum amor insatiabilis est; & longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo. Talium quoque divitiarum acquisitio, magni laboris est; possessio magni timoris: & amissio, magni doloris. Qui illas amat, te Dominum amare non potest! sed cum ipsis labentibus, labitur in perditionem: & qui eis innititur per amorem, cum ipsis defluit in mœrorem. Qui enim eas invenit, requiem perdit; & cum vigilat, augmentum cogitat: cum dormit, fures somniat. In die est afflictus, & in nocte pavidus, semper autem mendicus. O clementissime Domine Iesu Christe, cujus amor nullum fallit; video per effectum, quod laqueus est in auro, viscum in argento, & pedica in prædio. Quia qui aurum petit, strangulatur; quia argentum, visco hæret: & qui prædia, alligatur. Qui mane quærit lucrum, vesperi reperit animæ detrimentum, & sic deperit quicquid agitur.

2. Ad

2. Ad tuum Domine extremum judicium ſine ulla temporis intercapedine & continue volens nolens properat: & amat quod neceſſario relinquit; id vero negligit, ad quod neceſſario pervenit. Amat namque illa, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, & amiſſa cruciant, quæque arctius parta quam concupita conſtringunt. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, qui ſolus vere amandus es, ego nefandiſſimus peccator, quæ ſcripſi & ſcribo, ſcivi & veraciter ſcio talia eſſe. Sed tanta eſt malitia mea & iniquitas, ingratitudo & ſuperbia, quod omnia tibi placita conſilia & præcepta tua protervo animo contempſi & ſprevi; & ad miſeras divitias mundi, cor meum penitus inflexi. Illas concupivi & deſideravi: & ut eas acquirerem, laboravi, & ad hoc ipſum vigilavi; & quaſcunque vias adinvenire valui, adinveni. O piiſſime Domine, adjuvare me digneris, & delere tua maxima miſericordia omnia peccata mea; ſegregare mentem meam à deſideriis terrenis; elevare illam ad divitiarum cœleſtium deſiderium, quæ in ſolo tuo conſiſtunt amore: ut eas auxilio tuo conſecutus, te perpetuo diligam, & tuo amore fruar in ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPVT XXXIV.

Contra amorem perverſum mulierum.

1. AMor carnalis (benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, ſpiritualis amator, & vere in ſpiritu & ſpiritualiter amande) inſatiabilis eſt. Quia extinctus reaccenditur, & poſt

post copiam rursus inops fit, animumque virilem effæminat; & præter passionem quam sustinet, nihil sinit aliud cogitare: quia rationis oblivio est, & insaniæ est proximus. Talis perversus amor turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit; à magnis & altissimis cogitationibus ad parvas & humillimas attrahit, iracundos & temerarios facit. Insuper, qui tali amori conjungitur, tentationibus continuis subjacet. Talis amor est laqueus animæ, discrimen vitæ, mors suavis, blanda percussio, interfectio leniens, mel felleum, pernicies delicata, dulce venenum, malum spontaneum, sapida jugulatio, & omnium rerum calamitas. Nam Adam & Evam de paradisi delitiis ejecit, cœlestis terrenos fecit, humanum genus in infernum demersit. Vitam abstulit mundo, laborem & pressuram invenit, & malum quod ad mortem perducit. Fœdat pueritiam, perdit juventutem, & incitat ac inquietat emortuam carnem, & senectutem.

2. Talis amor (Domine Iesu Christe, sanctitatis, munditiæ, & puritatis amator) est veræ amicitiæ inimicus, ineffugabilis pœna; noxium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas; domesticum periculum; mali natura, boni colore depicta; continua solicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum; domus tempestatis, solitudinis & orationis impedimentum; continentis viri naufragium, adulterii vas, pernicioſum prælium, & pondus gravissimum. O misericordissime Domine Iesu Christe, casti conditor

ditor amoris, qui me de nihilo creasti, & tuo precioſiſſimo ſanguine redemiſti; tuam miſericordiam ſupplex imploro, corde & opere efflagito, ut cor meum fragile longe facias à tali amore.

3. Erue me à tanto periculo, defende me à tam miſerabili caſu: protege me à tanta circumventione inimici. Libera me, miſericordiſſime Domine, à tanto laqueo perditionis. Da mihi fortitudinem reſiſtendi, concede mihi veniam peccatorum. Eleva mentem & cor meum, ut te amem & timeam, tibi placeam & ſerviam: te verum Deum corde, ore, & opere confitear, & agnoſcam, & à tua infinita miſericordia me non repellas. Fac me perſeverare in bonis & tibi acceptis operibus, ut in præſenti ſic vivam, & ſemper ad ulteriora procedam; in fine hujus tranſitoriæ vitæ meæ, vitam inveniam in amore tuo ſempiternam, Amen.

Finis Contemplationum Idiotæ de amore divino.

INDEX
CAPITVM
MEDITATIONVM
D. AVR. AVGVSTINI,
Hipponensis Episcopi.

Invocatio Dei omnipotentis ad morum & vitæ reparationem. Cap. 1

Hominis accusatio, & commendatio misericordiæ divinæ, 2

Hominis conquestio, qui propter inobedientiam à Domino non auditur, 3

Iudicis timor, 4

Invocatur Pater per Filium, 5

Hic repræsentat homo Patri passionem Filii, 6

Hic recognoscit homo se causam esse passionis, 7

Hic exponit homo Deo Patri passionem Filii in sui reconciliationem, 8

De invocatione Spiritus sancti, 9

Oratio servi Dei de se humiliter sentientis, 10

Oratio ad sanctam Trinitatem, 11

Confessio omnipotentis Dei, & majestatis ejusdem, 12

Qualiter generi humano dignatus est subvenire Deus Pater, & de Verbi incarnatione, & gratiarum actione, 13

De fiducia quam habere debet anima in Domino Iesu atque ejus passione, 14

De immensa charitate Patris æterni ad genus humanum, 15

De

De duplici Christi natura, qui nobis miseretur, & pro nobis interpellat, 16
De gratia quam habere debet homo Deo pro beneficio redemtionis, 17
Oratio devotissima ad Christum, 18
Hic distinguit inter sapientiam quæ domus Dei est, & sapientiam quæ divina est, 19
Hic orat homo, ut ipsa quoque domus Dei oret pro eo, 20
Quantis amaritudinibus vita ista sit respersa, 21
De felicitate vitæ, quam præparavit Deus diligentibus se, 22
De felicitate animæ sanctæ hinc exeuntis, 23
Oratio ad Sanctos, ut nobis succurrant in periculis, 24
Animæ desiderium ad civitatem supernam Hierusalem, 25
Hymnus de gloria paradisi, Petri Damiani Cardinalis Ostiensis, ex dictis B. Augustini, 26
Laus continua quam facit anima, ex contemplatione supernæ divinitatis, 27
Quid sit quodammodo Deum cernere & tenere, & qualiter sit de Deo sentiendum, 28
Oratio explicans plurimas Dei proprietates, 29
De pluralitate personarum & unitate in Deo, 30
Oratio ad Sanctam Trinitatem, 31
Quod Deus vera & summa vita est, 32
Laus Angelorum & hominum, 33
Hic conqueritur homo quod non compungitur in contemplatione, ex quo Angeli quoque tremunt Deum videntes, 34
Oratio cor multum movens ad devotionem, & divinum amorem, 35
Oratio devotissima ad laudes habendas, 36

In ista oratione mens humana copiosius compungitur, si in quiete dicatur, 37
Oratio in tribulatione, 38
Oratio multum devota ad Filium. 39
Oratio utilis, 40
Oratio devota de recordatione passionis Christi, 41

INDEX

INDEX CAPITVM SOLILOQVIORVM

D. Augustini Hipponensis Episcopi.

De ineffabili dulcedine Dei, Cap. 1
De miseria & fragilitate hominis, 2
De admirabili lumine Dei, 3
De mortalitate humanæ naturæ, 4
Quid sit nihil fieri, 5
De casu animæ in peccatis, 6
De multiplicibus beneficiis Dei, 7
De dignitate hominis futura, 8
De omnipotentia Dei, 9
De incomprehensibili laude Dei, 10
De spe erigenda ad Deum, 11
De laqueis concupiscentiarum, 12
De miseria hominis & beneficiis Dei, 13
Quod Deus perpetua inspectione considerat opera & intentiones hominum, 14
Quod homo per se nihil potest sine divina gratia, 15
De Diabolo & multiplicibus tentationibus ejus, 16
Quod Deus est lux justorum, 17
De beneficiis Dei, 18
De fervore dilectionis, vel charitatis, 19
Quod Deus subjecit omnia servituti hominum, 20
Quod ex consideratione bonorum temporalium colligitur magnitudo cœlestis consilii, 21
Quod divina dulcedo omnem præsentem mundi amaritudinem tollit, 22

Quod tota spes nostra & desiderium cordis nostri debeat esse in Deum, 23
Quod salus nostra ex Deo est, 24
Quod voluntas humana inefficax sit ad bona opera sine divina gratia, 25
De antiquis beneficiis Dei, 26
De Angelis deputatis ad custodiam hominum, 27
De profunda prædestinatione, & præscientia Dei, 28
De illis, qui prius sunt justi, & postea impii efficiuntur, & è converso, 29
Quod anima fidelis sit sanctuarium Dei, 30
Quod neque per sensus exteriores, neque interiores inveniri potest Deus, 31
Confessio veræ fidei, 32
De confessione propriæ vilitatis, 33
Consideratio divinæ majestatis, 34
De desiderio & siti animæ ad Deum, 35
De gloria cœlestis patriæ, 36
Oratio ad sanctam Trinitatem, 37

INDEX

INDEX CAPITVM MANVALIS DIVI AVRELII AVGVSTINI Hipponensis Episcopi.

Præfatio ejusdem.
De mirabili essentia Dei, Cap. 1
De indicibili scientia Dei, 2
De desiderio animæ sitientis Deum, 3
De miseria animæ, quæ Dominum nostrum Iesum Christum non amat, nec quarit, 4
De desiderio animæ, 5
De felicitate animæ, à terreno carcere resolutæ, 6
De gaudio Paradisi, 7
De regno cælorum, 8
Quomodo post nimios ploratus mœstam animam consolatur Deus, 9
De dulcedine divini amoris, 10
De præparatione nostræ redemptionis, 11
De gaudio, 12
Quod verbum incarnatum sit causa spei nostræ, 13
Quod quanto major sit de Deo meditatio, tanto sit & dulcior, 14
Quod desiderandæ sint pro Christo tribulationes in hac vita, 15
Quomodo regnum cœlorum possit acquiri, 16
Quid sit & quid habeat Paradisus, 17
Quod homo non valet Deo vicem reddere, nisi per amorem, 18

Quod in nobis Deus requirat sibi simile, 19
De confidentia animæ amantis Deum, 20
Quid fecit Deus propter hominem, 21
De recordatione vulnerum Iesu Christi D. N. 22
Quod recordatio vulnerum Christi est efficax remedium contra omnes adversitates, 23
Meditatio ad amorem Christi, 24
Nihil potest animæ sufficere præter summum bonum, 25
Quid sit cognitio veritatis, 26
Quid in nobis operetur missio Spiritus sancti, 27
De operatione ejus qui diligit Deum, 28
De vera cordis requie, 29
Quicquid mentis aspectum à Deo retrahit, omnino fugiendum est, atque execrandum, 30
Quod visio Dei perdita sit propter peccatum, & miseria inventa sit, 31
De bonitate Dei, 32
De delectabili fruitione Dei, 33
Summum bonum appetendum est, 34
De mutua charitate Sanctorum in cœlis, 35
De pleno gaudio vitæ æternæ, 36

INDEX

INDEX
CAPITVM MEDITATIONVM B. ANSELMI.

De redemptione generis humani.

LIBRI I.

Quid sit virtus salvationis, & ubi, Cap. 1
Cur sit occulta, & tam diu dilata, 2
Qua & cujus necessitate se sic humiliavit, 3
Quomodo dicatur factus obediens, & hujusmodi, cum sola libera voluntate hoc fecerit, 4
De meditatione circa hoc, & de quo gaudendum circa passionem Christi, 5
De beneficiis homini à Christo exhibitis, 6
De gratiis agendis super his, 7

LIBRI II.

Quanam à Deo oranda, Cap. 1
Dei misericordiæ & bonitatis ad nostram indignitatem applicatio, 2
Indignitatis nostræ exaggeratio, 3
Quum in nostra indignitate nihil aliud quam desperatio inveniatur: Dei hæc summa bonitas atque dulcedo prædicatur, 4
Quomodo nos Deus, ad perseveranter quærendum occultorum suorum judiciorum dulcedinem, incitet, 5
De vero intercessore, atque instituti hujus dispositore, 6

Redemptoris innocentis, perditi nocentis, inter se comparatio; ac hujus renovatio, 7
Qualiter sese creatura renovata patri caelesti in sacrificium totam offerat, eique adserviendum cupiat consecratam, 8
Orationes.

INDEX

INDEX CAPITVM MEDITATIONVM D. BERNARDI.

De dignitate hominis, Cap. 1
De miseria hominis, horrore mortis & districtione judicis supremi, 2
De dignitate animæ, & vilitate corporis, 3
De præmio patriæ cœlestis, 4
De quotidiano sui ipsius examine, 5
De attentione orationis tempore habenda, 6
De custodia cordis, & studio orationis, 7
De incuriæ seu negligentiæ inter orandum detestatione, 8
De instabilitate cordis humani, 9
De impatientia correctionis & accusatione propriorum defectuum ac vitiorum, 10
De individuo comitatu conscientiæ nos ubique remordentis, 11
De tribus inimicis hominis, carne, mundo, & diabolo, 12
De impugnatione trium dictorum inimicorum, 13
De desiderio patriæ cælestis, & summa ejusdem felicitate, 14
De brevi vita hominis, 15

INDEX

INDEX CAPITVM IN IDIOTÆ CONTEMPLATIONES de Amore divino.

Quid sit amor, Cap. 1
Vnde oriatur amor Dei, 2
Qualiter nos Deus dilexit, 3
Qualis est amor Dei, 4
De violentia amoris Dei, 5
Quomodo cognoscit anima se diligi à Deo, 6
De operatione amoris Dei, 7
De magnitudine amoris Dei, 8
De causa diligendi Deum, 9
Qualiter Deus diligatur, 10
De triplici modo diligendi Deum, 11
Quid sit diligere Deum ex toto corde, 12
Quid sit diligere Deum ex tota anima, 13
Quid sit diligere Deum ex tota mente, 14
Quod amor est fortis armatura animæ, 15
Quod per amorem peccatum dimittitur, 16
Quod amor est via rectissima ad Deum, 17
Quod amor obtinet, quæ juste petuntur à Deo, 18
Quod amor Dei defendit & liberat à malis, 19
Quod amor reficit hominem, 20
Quod amori Dei est insistendum, 21
De utilitate & facilitate amoris Dei, 22
Quod diligere Deum, est summe leve, 23
Quod amor est vestis preciosa animæ, 24

Quod

Quod amor à malis animam custodit, 25
Quod amor in se continet doctrinam veritatis, 26
De amore, quo Deus diligit hominem, 27
Quod amor est excellentissima virtus, 28
De amore Dei & proximi, 29
De amore inimicorum, 30
Contra amorem sui ipsius, 31
Contra amorem mundi, 32
Contra amorem divitiarum, 33
Contra amorem perversum mulierum, 34



INDEX

INDEX

in hunc

DIVINI AMORIS

FASCICVLVM.

A.

ACcusatio hominis, & divinæ misericordiæ commemoratio, 8, 244, 248
Adversitates, *V. Passio Christi.*
Amaritudo, *V. Dulcedo.*
Amoris divini dulcedo, 211. Meditatio ad amorem Dei inflans, 226. Non valet homo vicem Deo reddere nisi per amorem, 220. Amantis Deum confidentia, 159, 222. Amoris Dei magnitudo, 337. Amor obtinet quæ à Deo juste petuntur, 355. Vtilitates ex amore Dei, 361. Amor Dei à malis tum impedit, tum liberat, 356. Reficit hominem, 358. Est via ad Deum rectissima, 353. Iugum leve est, 364. Veritatis doctrinam in se continet, 369. Qualiter Deus diligatur, 341. Per amorem peccatum dimittitur, 351. Dei amori insistendum, 360. Dei & proximi amor, 375. Quem Deus hominem diligat, 371. Amor Dei vestis est preciosissima, 366. Est animæ fortitudo, 356. Causæ amandi Deum, 339. Quid sit Deum ex tota anima diligere, 346. Quid sit Deum diligere ex toto corde, 344. Amor Dei quid

quid sit, 324. qualis, 330. Triplex modus diligendi Deum, 342. Amor est virtus excellentissima, 373. Amoris divini violentia, 331. Qualiter Deus nos amârit, 330. Vnde oriatur amor Dei, 326. Quomodo possit anima scire se à Deo diligi, 333

Angeli ad hominis custodiam deputati, 172 *V. Laus.*

Animæ dignitas, 279. Fœlicitas animæ hanc vitam exuentis, 49, 207. Anima divinitatem supernam laudat, 55. Dei sanctuarium est anima fidelis, 175. Animæ desideria, 206. Desiderium animæ ad supernam Hierusalem, 52. Animæ desiderium erga Deum, 190. Anima Deum sitiens, 203. Animæ fortitudo, amor Dei, 356

B.

BEneficia Dei homini impensa, 28, 136, 150, 164, 253. Deo gratiæ agendæ pro beneficiis, 28, 37, 253. Multiplicia beneficia, 124, 136

Bonitas Dei, 236, 237, 249

Bonum summum appetendum, 238. summum bonum animam tranquillam facit, 86, 228, 232

C.

CArnis noſtræ mala, 318
Charitas Patris immenſa erga hominem, 32. Mutua ſanctorum charitas in cælis, 240. *V. Dilectio.*
Chriſtus & Deus & homo eſt, 34, 36. Chriſtus nobis miſeretur, & orat pro nobis, *ibid.* Humilitas Chriſti magna, & cur ſe tantopere abjecerit, 248. *V. Obediens.*
Compunctio. Homo conqueritur quod in contemplatione non compungatur, 75. *V. Oratio.*
Concupiſcentia, 134. *V. Laquei.*
Confeſſio veræ fidei, 182. Vilitatis propriæ confeſſio, 186. *V. Hominis indignitas.* Dei omnipotentis & majeſtatis ejuſdem confeſſio. 26
Confidere in Deo, 30. Animæ amantis Deum confidentia, 106, 226
Conſcientia ubique præſens eſt, 314
Conſilium divinum, *V. Temporalia bona.*
Cordis requies vera, 87, 228, 231
Cordis humani inſtabilitas, 306. *V. Deſiderium.*

D.

DEſiderium cordis noſtri ſit fixum in Deo, 160
Devotio. *V. Oratio.*
Deus in nobis requirit ſibi ſimile, 221

Quid-

Quidnam Deus egerit pro homine. 223. Deus est summa & vera vita, 70. Fruitio Dei delectabilis, 237. In Deo personarum unitas, earumque distinctio, 66. Fugiendum est quicquid avertit à Deo, 233, 298. Quid sentiendum de Deo, & quid sit Deum cernere & tenere, 61. Deus inveniri non potest per sensus exteriores, neque etiam per interiores, 174
Diaboli tentationes, 145
Dilectionis sive charitatis fervor, 154
Diligentis Deum operationes, 231
Divinitatis supernæ laudes, 26
Divitiarum amor, 316, 382
Doctrina veritatis, *V. Amor Dei.*
Dulcedo divina, 248. Ineffabilis, 111. Omnem mundi amaritudinem tollit, 158. Quomodo quærenda, 254. *V. Amor.*

E.

ESsentia Dei, 201
Examen Dei quomodo sit instituendum. 297

F.

FElicitas, *V. Anima. Gloria cælestis. Paradisus. Vita æterna.*
Fiducia peccatoris in Iesu & ejus passione, 30
Filii invocatio, 39, 96
Frui Deo, 237

G.

GAudium ſpirituale, 213. Plenum gaudium in vita æterna habetur, 241. *V. Paradiſus. Paſſio Chriſti.*
Gloria cæleſtis, 55, 194. Gloriæ cæleſtis præmium, 292
Gratiarum actio pro Chriſti paſſione, 106
Gratitudo hominis pro beneficio redemptionis, 37
Gratiæ Deo agendæ, *V. Beneficia. Paſſio Chriſti.*

H.

HOminis dignitas, 127, 278. Indignitas, 196, 248, 259. Miſeria & fragilitas, 115, 282. Mortalitas, 119. Inimici, 315. Deus omnia imperio hominis ſubjecit, 155. Nihil poteſt homo abſque divina gratia, 133
Hymnus de paradiſi gloria, 55

I.

IMpii. *V. Iuſti.*
Incarnatio Verbi, 28. Chriſti incarnatio noſtræ ſpei cauſa eſt, 214
Inimicorum amor, 377
Inimici, *Vide Homo.*
Inobedientia cauſa eſt cur homo non audiatur à Deo, ac proinde conqueritur, 11

Intentio, *V. Opera.*
Interceſſor verus, 278
Iudicium extremum, 282
Iuſti aliquando facti ſunt improbi, & contra, 171
Iugum leve eſt, amor Dei, 368

L.

LAus Dei incomprehenſibilis, 35. Angelorum & hominum, 83
Lux juſtorum Deus, 136

M.

MAjeſtatis divinæ conſideratio, 295.
Mala. *V. Amor.*
Mortis conſideratio, 304
Meditatio de Deo quo frequentior, eo dulcior, 217
Miſeria magna hominis, 136. Nec amantis, nec quærentis Deum, 200
Miſericordiæ divinæ commendatio, & hominis accuſatio, 9, 10, 244, 248. *V. Bonitas. Dulcedo.*
Miſſio. *V. Spiritus ſanctus.*
Mori libenter, 49, 207
Mundi amor, 380

N.

NIhil fieri, 120. Nihil abſque divina gratia. 142

O.

OBediens cur dicatur Christus factus, cum omnia libera voluntate fecerit. 248

Omnipotentia Dei. 130

Opera bona non potest hominis voluntas perficere, nisi gratia Dei juvetur. 163. Opera nostra continuo Deus intuetur; item & nostras intentiones, 139

Orandum intente, 305

Orationes, 241. Oratio ad Patrem, 15. ad S. Trinitatem, 26, 68, 198. 201. ad Filium, 96. ad Christum, 39. Spiritus sancti invocatio, 24. Oratio ad compunctionem habendam, 88. Humiliter de se sentientis oratio, 26. In tribulatione, 95. De passione Domini, 106. Qua petitur Paradisi aditus, 209. ad Sanctos, ut in periculis nobis sint auxilio, 50. Ad morum & vitæ reparationem Dei invocatio, 7. Oratio movens ad amorem divinum, & ad devotionem, 77. ad laudes habendas, 83. Oratio Dei proprietates plurimas explicans, 62. Pro seipso deprecatio, 319 Valde utilis oratio, 101. In oratione quæ sint à Deo petenda, 243

P.

PAradisi gaudia, 218. gloria, 55. Quid sit Paradisus, & quid in se contineat, 218.

218. *V. Gloria cæleſtis. Gaudium.*
Paſſio Chriſti eſt peccatoris fiducia, 30. Recordatio illius eſt efficax remedium contra omnes adverſitates, 225. Homo Patri repræſentat paſſionem Filii ejus orans, 16. Deo Patri exponit homo paſſionem Filii, ut ſui miſereatur, 21. In Paſſione Chriſti qua de re gaudendum eſt, 250. Paſſionis ac vulnerum Chriſti recordatio, 224. Homo agnoſcit ſe eſſe cauſam paſſionis Chriſti, 18, 19. *V. Oratio. Gratiarum actio.*
Pater invocatur per Filium, 15
Peccatum miſerias invexit, & Dei viſionem nobis ſuſtulit, 235. Lapſus animæ in peccatum, 123. Peccatum non debet excuſari, 322. *V. Amor.*
Pericula. In periculis implorandum auxilium Sanctorum, 51
Præſcientia Dei, 160
Prædeſtinatio Dei, *ibid.*
Proprietates Dei, 62
Proximi amor, 375
Pſalmos canendo oportet hominem eſſe intentum, 398

Q.

Quærere. *V. Dulcedo divina.*

R.

REdemptionis noſtræ virtus, 243. præparatio, 212. Pro redemptione gratitudo hominis, 37. Noſtri redemptio cur occulta, & diu dilata, 244

Redemptoris & redempti comparatio, 279
Reformatio, 282. Pro reformatione vitæ & morum, Dei invocatio, 7
Regnum cælorum, 209. Quomodo acquiri possit, 281

S.

SAlvatio. *V. Redemptio.*
Salus nostra ex Deo est, 243
Saluti hominum quomodo subvenit Pater, 87
Sanctorum charitas in cælis, 240
Sanctuarium Dei est anima fidelis, 173
Sapientia duplex, una divina, alia vero Dei domus, 42
Scientia Dei, 202
Sensibus nec exterioribus, nec interioribus Deus inveniri potest, 174
Spes nostra in Deo, 133
Spiritus sancti invocatio, 24. Quid in nobis operetur missio Spiritus S. 230
Sui ipsius amor, 353. consideratio, 313.

T.

TEmporalium bonorum consideratione, cælestis consilii magnitudo colligitur. 156
Tentationes, *V. Diaboli.*
Timor judicis, 13
Tribulatio, *V. Oratio.*
Trinitatis invocatio, 26,68,198,201
Tristitia, *V. Dulcedo.*

Veri-

V.

VEritatis cognitio quid sit, 229
Veritas. *V. Amor Dei.*
Vestis animæ preciosa, amor Dei, 366
Via ad Deum, amor Dei, 353
Vicem Deo reddere, *V. Amor.*
Virtus excellentissima, amor Dei, 373
Vita hominis brevis est, 320
Vita præsens amaritudinibus plena est, 46
ad Vitæ & morum reparationem, Dei invocatio, 7
Vitæ æternæ fœlicitas, quam Deus præparavit se diligentibus, 47
Vita vera, *V. Deus.*
Voluntas humana uti inefficax sit, 163
Vulnera Christi, *V. Passio.*

FINIS.

APPROBATIO.

Hic liber Meditationum S. AVGVSTINI Episcopi Hipponensis, cum adjunctis Soliloquiis & Manuali, item Meditationum ANSELMI, BERNARDI, & IDIOTÆ, denuo utiliter excudetur. Actum Duaci, 17 Decemb. Anno 1607.

Georgius Colvenerius, S. Theol. Doctor & Professor, & librorum in Academia Duacena Visitator.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

